



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

PA
3136
H39
1897

Ernste Professor Dr. Kaibel
Lehrstuhl für Griechische Philologie

DISSERTATIONES

J. Maas

DRAMA

PHILOLOGICAE HALENSES

STANFORD
LIBRARIES

VOL. XIII. PARS IV.

Haym, C., De Puerorum in Re Scaenica Graecorum
Partibus

HALIS SAXONUM
MAX NIEMEYER

MDCCCLXXXVII.



Handwritten signature

DISSERTATIONES

PHILOLOGICAE HALENSES

VOL. XIII.

HALIS SAXONUM
MAX NIEMEYER

MDCCLXXXVII.

INDEX DISSERTATIONUM.

	pag.
Kaiser, B., Quaestiones de elocutione Demosthenica	1
Haupt, G., Commentationes archaeologicae in Aeschylum . . .	105
Wulf, H., De fabellis cum collegii septem sapientium memoria conjunctis quaestiones criticae	161
Hayn, C., De puerorum in re scaenica graecorum partibus . .	217

CONRADUS HAYM:

DE PUERORUM IN RE SCAENICA
GRAECORUM PARTIBUS

Fabulas Graecorum si quis recte vult intellegere et aestimare, ei id imprimis tenendum est, ludos scaenicos Atheniensium, quibus illae fabulae erant destinatae, partem effecisse magnarum, quae quotannis Libero habebantur, feriarum. Eo enim maximam partem certae illae et quasi rigidae fabularum formae, quae a nostrorum poetarum licentia mirum quantum abhorrent, referendae sunt. Nam poetae in componendis fabulis non solum reverentia quadam prisci moris ducti, sed etiam eorum subsidiorum, quae ad ludos instituendos sollemniter praebebantur, certo modo astricti, pristinas illas formas religiose servaverunt. Tamen in ipsis illis angustis finibus progressum quendam fieri cognosci potest. Nam praeterquam quod subsidia illa per temporum cursum paullo aucta sunt, poetae certis temporibus novos colores sive artificia scaenica fabulis suis adhibuerunt, post aliquod tempus, quae antea novaverant, saepe reiecerunt. Nam multum valuit etiam in fabulis componendis usus tyrannus, qui, quae ipse peperit, mox idem delere solet. Moneo de Charonis illa scala, quod artificium olim in apparatu scaenico praecipuum locum tenuisse, postea sensim neglectum esse nuper Robertus ¹⁾ ostendit. Multa alia possum afferre. Similiter puerorum quoque in fabulis partes, quas mihi tractandas proposui, certo quodam tempore in gratia et honore fuisse, postea spretae et abiectae esse videntur. Iam vero iis artificiis diligenter observandis si poetarum usum eiusque vicissitudines constituerimus, apparet nos ad singulorum non solum poetarum indoles, verum etiam ad totius artis dramaticae gradus ac processus vere cognoscendos aliquid profecturos esse. Itaque si hunc, quem mihi examinandum proposui, singularem morem scaenicum, pueros in scaenam inducendi, cum aliquo fructu perquirere atque explicare contigerit, paullulum

¹⁾ Herm. XXXI, p. 538 sqq.

ad eam, quam in tractanda Graecorum tragoedia Wilamowitzius philologiae viam monstravit, muniendam contulisse mihi videbor. Occurrunt autem hae potissimum quaestiones: Num revera pueri eas minorum natu partes susceperunt, aut cuius aetatis fuerunt ii pueri, qui in scaena egerunt? Quo tempore aut a quo primo pueri sunt inducti? Quamdiu puerorum partes in honore fuerunt? Quomodo per temporum progressum sunt exultatae? Quatenus quove consilio poetae iis usi sunt?

Primum igitur ut firmum toti quaestioni substruamus fundamentum, ea puerorum inductorum exempla, quae in superstitionibus fabulis exstant, perlustremus atque colligamus. Cum enim non ubique, quid voluerint poetae in scaena fieri, plane sit dilucidum, accurata imprimis opus est verborum traditorum interpretatione. Qua in re haec maxime quaerimus: quando prodeant pueri? quamdiu morentur in scaena? si plures, quot sint? quid agant? num quid loquantur vel canant? quomodo canant, coniuncti an soli?

In septem Aeschyleis tragoediis puerum nullum videmus.

Apud Sophoclem primum in *Antigona* ¹⁾ puerum invenimus, dico eum, quo Tiresias caecus duce utitur. Quamvis ille non inter personas fabulae sit habendus, tamen prodit in scaenam (989—1090); item in *Oedipo rege* a puero (444) Tiresias ducitur. Nimirum talis puer intellegendus est, quales sollemniter

¹⁾ *Antigonam* Aiace antiquiorem esse ex nonnullis artis proprietatibus sequitur: ita Wilamowitzius (*An. Eur.* p. 195) ostendit, *Antigonam* unam ex Sophocleis fabulis antilabis carere; item *Antigona* monodiis caret, quae occurrunt in *Alcestide* et *Aiace*. *Aiacem* autem *Alcestide* recentiorem esse Wilamowitzius (*An. Eur.* p. 255) suspicatus est ex *Ai.* 1297. Quod vero Robertus ostendit (*Herm.* XXXI, p. 530 sqq.), *Aiacem* exhibere scaenicum apparatus sane antiquum, inde eam fabulam Sophoclearum antiquissimam esse concludi nequit, siquidem non idem omnibus fabulis apparatus convenit.

sacrificantibus ministrabant, quod sequitur ex Tiresiae verbis his (1012/13):

*τοιαῦτα παιδὸς τοῦδ' ἐμάνθανον πάρα,
φθίνοντα σεμνῶν ὀργῶν μαντεύματα.*

Tales camillos, qui videntur ephoborum aetati propiores fuisse, saepe videmus in monumentis pictis. Quamvis igitur hic puer fortasse servus sit cogitandus, tamen voce illa „παῖς“ servum signari, non puerum, nego, universum et Sophoclis et Euripidis sermonis usum secutus, qui servos non nisi *δμῶας* sive *προσπόλους* sive *δούλους* appellent, tragicæ dictioni illud *παῖς* non convenire arbitrati: minus fastidiosus Aeschylus.

In *Aiace* Sophoclis Eurysacem Aiakis filiolum, quamvis mutum, iustas partes agere videmus, namque arto cum ceteris personis vinculo coniunctus est, de qua re infra fusius disputabitur. Eurysacem ipse poeta puerum nominari fecit v. 340 et 575. Adducitur, non portatur, a servis (544); ut enim omni in hac fabula non ita parvus atque debilis depingitur, sic hac in scaena quoque eum pedibus ambulare verba poetæ patefaciunt (541 sqq.):

TEK. *δεῦρο προσπόλων*
ἄγ' αὐτὸν ὅσπερ χερσὶν εὐθύνων κυρεῖς.

AI. *ἔρποντι φωνεῖς; κτλ.*

attollitur v. 445 sqq. in eccyclema, ubi sedet pater tanquam in tentorio inter caesas pecudes. Non enim possum iis assentiri, qui grammaticorum parepigraphis neglectis eccyclema in fabulis superstitionibus usurpatum esse negant.¹⁾ Non in genua iubere Aiace filiolum attolli, ipsius declarant verba (545 sq.):

*αἶρ' αὐτὸν αἶρε δεῦρο· ταρβήσει γὰρ οὖν,
νεοσφαγῆ μου τόνδε προσλεύσσω φόνον.*

Cum enim in ipso tentorio pecudes illae sanguine perfusae iaceant, voce illa *δεῦρο* tentorii interiorē partē, quae eccyclemate repraesentatur, significari apparet. Ita tantummodo intellegi potest, quod pater dicit filium suum horribili aspectu non territum iri, sc. si tentorium intraverit. Cum autem omnes praeter Aiace personae extra tentorium sive eccyclema cogi-

¹⁾ Cf. Neckel, *Das Ekkyklema*, Progr. Friedland. (Obotrit.) 1890 et Dürpfeld-Reisch, *Das griechische Theater*, Athen 1896, p. 234 sqq.

tandae sint, puero aut ipsi eccyclema ascendendum est, aut ab alio aliquo tollatur necesse est. Non tam humile hac quidem in tragoedia fuisse illud vehiculum, ut non puer eo deberet attolli, vel inde fit probabile, quod per hanc fabulam neque ex eccyclemate in orchestram descenditur, neque ascenditur ex orchestra in eccyclema: ¹⁾ Ajax invehitur solus v. 595; Tecmessa redit in tentorium v. demum 685, quo iam revolutum est eccyclema. Demitur puer de eccyclemate v. 578 sqq.; in scaena manet fortasse cum matre usque ad v. 685, quo Tecmessa in tentorium ab Aiace mittitur. Iterum puer cum matre introit scaenam v. 1168, manetque ad finem. Quin etiam paullum agere cogitandus est, scilicet Teucer eum supplicem ad patris mortui corpus collocat capillos trium supplicum manibus tenentem (1171 sqq.). Postremum, cum patris corpus auferatur, ipse quoque patrem tangens pietatis officium praestat.

In **Oedipi regis** initio Sophocles magnam puerorum turbam prodire iussit, quos sacerdos supplices, ut regem de avertenda peste interpellarentur, ante arcem regiam duxit. In aris sedent (16), nimirum ramos lana obvolutos manibus tenentes. Decedunt cum sacerdote v. 150. — Praeterea in fine fabulae in scaenam prodeunt duae Oedipodis filiolae, quas, etiamsi non nominantur, Antigonom et Ismenam esse non falso putabimus. Accurrunt (1471) a Creonte evocatae, pater eas manibus tangit atque permulcet (1468, 1481). In fine fabulae de scaena decedunt. Mutae sunt, sicut omnino pueri quos novimus Sophoclei; pueros, non puellas, eorum personas induisse, ex sollemni tragoediae more sequitur.

Transeamus nunc ad Euripidem, cuius in fabulis percensendis eum temporum ordinem sequar, quem Wilamowitzius in *Analectis Euripideis* et in *Hercule suo* et testimoniis et coniecturis nixus constituit.

Iam in antiquissima quam habemus fabula, **Alcestide**, videmus duos pueros prodeuntes, filiolum dico filiulamque Admeti

¹⁾ Contra Robertus (*Herm.* XXXI, p. 537) putat eccyclema sane humile fuisse. Sed dubitari potest, num eadem omnibus temporibus forma eccyclematidis fuerit.

et Alcestidis. Prosequuntur cum patre matrem moribundam, dum e domo egreditur, ut supremo coelum solemque salutet (233). Nominibus pueri in fabula carent. Putandi sunt ad lectum matris procumbere, manus ei protendere, qualia in sarco-phagis Romanis ficta videmus. Postquam Alcestis supremum spiritum efflavit, puer canticum profert matris mortem deplorans. Domum redeunt pueri, ut opinor, v. 434, cum patre. Postea in funere iterum eos in scaenam prodiisse statuendum est.

Deinde in *Medea* Euripidis habemus duos pueros, filiolos Medeae et Iasonis, qui initio fabulae (46) a paedagogo ducti adveniunt, ut videtur ex palaestra; in scaena morantur usque ad v. 95; tum enim a nutrice in domum mittuntur. Iterum prodeunt a matre evocati v. 894, ut patrem salutatione ac blandimentis commoveant. At pueri muti, ut omnino dum in scaena versantur. Mittuntur deinde cum donis illis perniciosis ad Creontis filiam (956) patrem sequentes (cf. v. 1137); ut omnino hoc potest observari, pueros tragicos solere in scaenam prodire non nisi ab adultis hominibus comitatos, cui legi unum illum locum video obstrepere, quo Medea liberos insontes aspiciens diversis animi motibus distrahitur, donec dirum scelus perficere decernat (1019—1080). Ibi enim paedagogi praesentia non potest tolerari, itaque in domum mittitur v. 1019. — Sed, ut redeamus, unde sumus digressi, pueri ex domo redeunt cum paedagogo v. 1002, qui pro eis verba facit (pueri enim muti). Iam sequitur ea scaena, de qua modo diximus. Permulcere, osculari, amplecti matrem liberos clare dicit poeta vv. 1070 sqq.; tamen eam pueros sustulisse vix crediderim, quia non ut infantes vel trimuli sunt cogitandi, sed paullo iam maiores, de qua re infra disputandum erit.¹⁾ Post v. 1080 pueri domum ingressi non iam aspiciuntur, voces auxilium petentium post scaenam audiuntur vv. 1271—72 et 1277—78, qui trimetri inter dochmios chori inserti sunt. In fine corpora caesorum in curru anguibus sublato apparent. Vides, quam multa nec levia in hac tragoedia poeta pueris agenda imposuerit. Neque enim satishabuit eos

¹⁾ Wilamowitzius (Herm. XV, p. 497), eumque secutus Arnimius (Ed. Med. ad v. 905) ad v. 905 adnotant, Medeam alterum puerum sustulisse atque saviasse cogitandam esse; itaque pueros illi putant fuisse trimulos vel quadrimulos; quam opinionem infra examinabo.

semel ante mortem spectatoribus ostendisse, sed totam per fabulam eos tali artificio actioni intexit, quale antea neque apud Sophoclem neque apud Euripidem videramus. — At iam trimetros illos puerorum clamantium propius contemplemur necesse est. Nauckius enim (Eur. Stud. I, p. 136) versum 1272, quo alter puer alteri respondet, ut interpolatum eiecit, his argumentis nixus: duos illos pueros coniunctos agere atque unam tantum personam repraesentare. Tales autem personas coniunctas non solere tragicos separatis sermonibus discernere. At ex Dioscuris, quos sententiae suae probandae causa affert Nauckius, alter tantum erat histrio legitimus (in Electra quidem aliter fieri non poterat); itaque vel propterea alter mutus. Eadem res est in Heraclidis, ubi ex Thesidis alter, Acamas, est muta persona, quia ab histrione non repraesentatur. Videmus autem poetas bene sensisse, quantum haberet offensionis coactum illud silentium, namque semper aliquam eius causam afferre conantur: velut in Heraclidis 144 sqq. Demophon legitimus terrae dominus dicitur, cui lis illa ad decernendum committenda sit. — Prorsus aliter res se habet in Supplicibus, quam praeterea affert Nauckius. Illi enim pueri omnino excedunt legitimum actorum numerum; canunt autem, quod infra docebo, ut omnino chori, una simul omnes voce. Eiusdem generis actorum, quod *παραχορήγημα* dicitur, etiam Alcestidis et Medae bini liberi sunt. Eorum tamen partes ea re differunt inter se, quod Alcestidis filius in ipsa scaena, Medae pueri post scaenam verba faciunt. Quodsi reputaverimus, poetas omnino pueris raro, rarissime singulis verba facienda tribuisse, non mirabimur, ex Alcestidis pueris alterum tantum cecinisse, non sororem fratrem cantu excepisse; nam illi palam et cum aliqua actione canendum fuit. Nam propterea alterum silere, ne singuli ut diversae personae designentur, ipse pueri refutat cantus, cum canendo suam propriam agat causam, suam sortem deplorans, sororem simul alloquens (cf. vv. 406 sqq.). At Medae pueri in scaena omnino sunt muti: nonne veri est simillimum, histrionem aliquem pro iis clamasse, siquidem satis magna sane voce, quam puero non concedemus, opus erat, ut ex scaenae aedificio in toto theatro verba perciperentur? Iam quod poetas non facile singulis pueris verba facienda tribuisse vidimus, hoc

non impedit, quominus Euripidem hoc loco colloquium puerorum induxisse credamus. — Itaque omnibus iis exemplis, quae cadere videbantur in legem illam Nauckianam, diligenter examinatis, aliis alias condiciones subesse cognovimus, quibus non respectis non potest certa lex constitui. Omnino autem in talibus legibus dramaticis statuendis, quae est testimoniorum penuria, summa cautione opus est. Fac non servatam nos habere Aeschyli Agamemnonem, nonne facile legem illam in vetere tragoedia valere coniceremus, nequaquam licere chori singulas personas separatis earum sermonibus designari atque discerni? At ibi poeta, ut senum animorum perturbationem depingeret, arte illa ad eum finem unice accommodata usus est. Quid? cum pueri a matre caedantur, nonne ibi quoque conditioni est aptum singulos clamare? Restat igitur ex argumentis Nauckianis hoc unum, quod ipse non magni facit, versum ipsum illum, quem eiciendum censet:

οὐκ οἶδ' ἀδελφὲ φίλτατ' ὀλλύμεσθα γάρ

Euripidis ingenio non esse dignum. At quis ubique diiudicare audeat, quid poetae possit tribui, quid non? Sed haud scio an si vere Graece sentiamus, minus offendamus in illius versus sobrietate. Imprimis enim hoc monendum est, Graecorum particulam γὰρ non tantam quantam nostram „denn“ habere logicam, ut ita dicam, vim. Similiter infra pueri clamant (1277):

ναί, πρὸς θεῶν, ἀρήξαι' ἐν δέοντι γάρ.

Utut autem haec se habent, versu 1272 omissio, unus tantum puer clamat, quod obstrepit chori verbis his (1273):

ἀκούεις βοᾶν ἀκούεις τέκνων;

Quamvis enim Wilamowitzius hoc admitti posse dixerit (secundum legem, quam de dirimendis trimetris constituit, An. Eur. p. 194 sqq.) versum 1271:

οἶμοι, τί δράσω; ποί φύγω μητρὸς χέρας;

inter duos pueros distribui, tamen mihi videtur, si Euripides voluisset revera colloquium fingere, clarius duas personas distinxisset. Ubicunque enim occurrunt trimetri ita dirempti, evidenter signatur colloquium, ita ut alter alterum appellet sive roget sive moneat, cf. e. g. Alc. 390 sq.:

ΑΔ. βλέπων πρὸς αὐτοὺς, βλέπων. ΑΔ. οὐδέν εἰμ' ἔτι.

ΑΔ. τί δρῶς; προλείπεις; ΑΔ. χαίρ'. ΑΔ. ἀπωλόμην τάλας.

Ille vero versus prorsus aliam habet speciem, ita ut iam omnibus impedimentis remotis equidem, donec non certiora me refellant, versum illum in pristino loco retinendum censeam.

In *Andromacha*, quae secundum scholiastam videtur sub initium belli Peloponnesiaci docta esse, habemus puerum canentem, ergo *παραχορήγημα*, filiolum dico *Andromachae*, quem ex *Neoptolemo* peperit. V. 309 a *Menelao* in scaenam adducitur, ubi putandus est ab ipso *Menelao* aut servo aliquo teneri, donec mater, ut pro eo moriatur, de ara descendat (411). Certe non ea solum re, sed etiam osculando permulcendo maternum suum amorem spectatoribus ostendit. V. 463 ambo in domum eunt. V. 494 redeunt morte damnati. Sequitur cantus amoebaeus matris et filii. V. 529 parvulus, qui non ut mater vincus est, genua *Menelai* amplectitur. Postea (722) idem *Pelei* iussu matri ex vinculis solvendae adest.¹⁾ Tum (757 sqq.) a *Peleo* ambo in domum mittuntur. Postea cum *Peleo* rursus pronepos redire videtur (1047), quod sequitur ex *Thetidis* deae verbis (1246: *καὶ παῖδα τόνδε πτλ*).

In *Heraclidis* ab ipso initio fabulae magnam puerorum multitudinem circum *Iolaum* ad aram *Iovis*, quae est ante templum eiusdem dei, sedentes videmus; cf. v. 122:

τίς ὄχλον τόνδ' ἀθροίζεται τύχη;
239: *νεοσσῶν τήνδ' ἔχων ὀμήγουριν.*

Sedent supplices pueri circa senem; omnes igitur manibus ramos lana obvolutos tenent (cf. v. 71): sane aspectum miserabilem nec non dramaticum praebentes. Sequitur scaena illa turbida, qua *Copreus* praeco senem de ara detrahere conatur, ita ut ille humi concidat (cf. v. 128). Senex et pueri magnis vocibus clamant (cf. vv. 126 sqq.). Quanquam enim verba pueris poeta nulla tribuit, tamen clamasse eos puto, quia tales voces, quas non articulatas dicimus, saepius in scaena antiqua occurrisse probabile est; cf. e. g. *Eur. Suppl.* 104:

τίς δ' ὁ στενάζων ἐν πύλαις ὄδε;

¹⁾ O. Müller (*H. L.* I⁴, p. 593 adn.) putat *Peleum Molossum* q. d. sustulisse, ut solveret matrem; quod in textu omnino non indicatur (*ἔφη δεῦρ' ἐπ' ἀγκάλας*). Praeterea *Molossum* paullo natu maiorem fuisse infra docebo.

Nimirum pueri etiam senem contra praeconem audacem defendunt, nam actionis participes ostenduntur etiam v. 603:

*λάβεσθε κείς ἔδραν μ' ἐρείσατε
αὐτοῦ πέπλοισι τοῖσδε κρύψαντες, τέκνα.*

Postquam Demophon salutem promisit, pueri ab Iolao reges adire, iis gratias agere iubentur. At pueri muti sunt. Idem postea cum Alcmena usque ad finem tragoediae in scaena remanent, certe non amplius aram obsidentes, postquam Hyllum advenisse allatum est (630).

In **Hecuba** quoque duos pueros, filiolos Polymestoris, Euripides induxit. Brevissimum tantum tempus in scaena morantur, patrem comitantes muti (952—1022). Postea corpora caesorum in scaenam provolvuntur (1051).

Supplices Euripidis, una ex omnibus quas tenemus fabulis, puerorum chorum canentem praebent. Incipit tragoedia a spectaculo satis tragico, cum videamus septem ante Thebas caesorum ducum matres senes acerbissimis doloribus vexatas circum Aethram ad aram Cereris Eleusinae sedentes; porro ad limen templi, Adrastum vestibibus velatum, quem circumdat turba puerorum, sc. septem ducum filiorum, humi nimirum ut ille iacentium (106). Acer gemitus undique tollitur. In progressu fabulae pueri non prius agere quicquam videntur quam v. 954, ubi mortuos patres ad rogos efferendos prosequuntur. At, quamquam nihil actionis puerorum antea Euripides indicavit, tamen non semper eos ad templi limen iacuisse statuendum est, immo, cum patrum corpora efferrentur (794), surrexisse, ut eis obviam irent et ea salutarent. Postremum pueri matribus cineres septem heroum afferentes threnum cum iis canunt alternis vocibus (1114 sqq.). In scaena permanent ad finem (cf. vv. 1213 sqq.). — Sed quomodo tandem hic puerorum chorus formatus sit, i. e. quot pueri cogitandi sint, accuratius quaeramus. Hunc ad finem autem primum, qualis fuerit chorus principalis, videamus. Euripides enim semper aequae loquitur, ac si septem matres in scaena fuerint, quibus assisterent famulae, quae et ipsae, matres excipientes, primi carminis ultimam stropham anti-strophumque canunt (71 sqq.). Numerum septenarium videtur e. g. v. 964 sq.: *ἑπτὰ ματέρες ἑπτὰ κούρους ἐγείναμεθ' αἱ ταλαίπωροι κτλ.* Postea famulae nonnisi v. 1115 memorantur

in anapaestis. Quid faciant per fabulam, quemadmodum cantus sint participes, non videmus. Si autem septem matres fuerunt et singulis matribus singulas famulas tribuimus, quomodo chori legitimus numerus atque forma efficitur? At ne videntur quidem septem matres adesse posse, siquidem non adsunt septem, sed quinque mortui. Tales quaestiones viros doctos iamdudum acerrime vexarunt. Satis sit hic G. Hermannum¹⁾ attulisse, qui statuerit VII matres, VII pueros in scaena fuisse, qui singuli cum singulis alternantes carmen illud amoebacum (1123 sqq.) canerent. Nuper R. Arnoldtius²⁾ illas difficultates expedire conatus est, cum accuratissime, quot matres necessario secundum rerum statum fuissent, computando quinque poneret matres; nam quoniam Polynicis et Amphiarai corpora omnino non Eleusinem allata essent (cf. v. 925 sqq.), nonnisi quinque matres revera ad expetenda corpora affuisse posse. Sed num tam facili argumentatione tota quaestio absolvi possit videamus. Neque enim ita ineptum est illam poeticam, ut ita dicam, licentiam vindicare Euripidi, ut non quasi putidum aliquem magistrillum exactum numerum matrum eum computasse arbitremur, sed servasse sacrum illum quasi et integrum numerum septenarium. Omnino illam fabulam quodammodo neglegenter compositam esse etiamnunc cognoscimus; ita hoc certe laudandum non est, quod Capanei et Euadnae filius matrem suam in ignem insilire omnino non videtur sentire (filiolus ille enim inter pueros adesse cogitandus est), sicut tota illa de Euadna scaena quodammodo absoluta inter ceteras actiones haeret. Adde quod pueri paene plane negleguntur, cum v. 954 cum Adrasto et Theseo decedant ad rogos, nullo eos iubente; adde quod Minerva v. 1216 Aegialeum, Adrasti filium, alloquitur, cum ex v. 107 certe eum absentem esse concluderimus. Quod vero gravissimum est: quamvis Euripides sequeretur Eleusiniam illam fabulam,³⁾ ex qua septem contra Thebas duces Eleusine iacebant sepulti, tamen non ausus est illustrem illam, quam Sophocles invenerat, fabulam de Polynice ab Antigona sorore sepulto evertere eo,

¹⁾ Praefat. ad Suppl. p. XVI.

²⁾ Die chorische Technik des Euripides, Halle 1878, p. 71 sqq.

³⁾ Vid. Pausan. I, 39.

ut Polynicem quoque Eleusinem iuberet afferri, quanquam quid ei factum sit, omnino non memoratur (cf. v. 500 et 925). Quae omnes discrepantiae facillime sic explicantur, ut hanc tragoediam ex recentis pacis (Nicianae) laetitia ad gloriam Athenarum celebrandam et foedus Argivorum commendandum ¹⁾ ortam itaque quasi uno impetu confectam, non diutino studio limatam esse arbitremur. Quid? hac fabulae natura cognita num eam discrepantiam, ut septem pro quinque accipiendae sint, magni faciemus? At his argumentis certi nihil effeci video: itaque, ut primum, quid ex ipsis poetae verbis de ratione inter matres et famulas intercedente sequatur, constituamus, singula chori carmina accuratius contemplemur. De primo carmine iam dictum est. Quae sequuntur chori preces (271 sqq.) ad unas matres pertinere videntur. Nam cum omnino propria ibi matrum causa agatur, tum verba quoque unis matrum oribus conveniunt. Arnoldtii vero sententia (l. c. p. 263), cum inter quinque matres singulas carminis partes distribuatur, ita firmis caret argumentis, ut eam refellere supersedeam. Omnino autem inter omnes fere viros doctos constat, talia conamina, quibus, quem in modum chorus revera sua carmina pronuntiaverit, ostendatur, plane esse inania, quippe quae nulla nitantur aut ratione certa aut veterum memoria, exceptis iis locis, ubi aut coryphaei verba ceteros alloquentis cognoscuntur, aut hemichoria invicem sibi respondentia significata sunt. — Etiam quod sequitur carmen (365 sqq.), quod cantatur, dum Theseus rem cum populo communicat, non habet, quod necessario ad famulas referatur: immo haec verba: τὸ πλεόν ἑμῶν κακῶν — τί μοι πόλις κρανεῖ — καὶ τέκνοις ταφᾶς ληψόμεσθα ad unas matres pertinent. Nisi forte quis ultimam antistrophum: ἄμυνε ματρὶ, πόλις κτλ. famulabus tribuerit. Sed ea quoque aptius matribus assignantur, praeterquam quod stropham et antistrophum non a diversis canere solent. — At ex proximo carmine (597 sqq.), quod vulgo inter hemichoria distribuitur, certe quispiam concludi posse putet, matres famulasque separatas canere ita nempe, ut alterum hemichorium, quod signatur, ex matribus, alterum ex famulabus constet. Atque in libris quidem manuscriptis turpissimo scribae

¹⁾ Cf. Wilam. An. Eur. p. 153.

alicuius errore Aethra cum choro colloquens traditur. Sed ne Adrastus quidem, qui in scaena adest, huic carmini admitti potest. Nam quominus eas partes, quae in Wilam. editione *Ήμιχ. α* signantur, ei tribuamus, prohibent vv. 666—7: *τίν' ἄν λόγον τάλαινα, τίν' ἄν τῶνδ' αἰτία λάβοιμι*; quia feminam requirunt. Si autem alteras partes (*Ήμιχ. β*) ei tribuamus, quod per se est veri dissimile, quia tum colloquium turbatur, matres se ipsae appellent: *ὦ μέλαι μελέων ματέρες λοχαγῶν*: quod fieri posse nego secundum sollemnem Graeci sermonis usum: requiritur enim primae personae pronomen, velut 273: *ὦ μελέα γῶ*, 922: *ἐγὼ τάλαινα*. Itaque quoniam colloquium hic inter duas personas fieri (in prima quidem stropha et antistropho) ipsa verba declarant, ita quidem, ut altera (*Ήμιχ. α*) ut timida et anxia, altera (*Ήμιχ. β*) ut secura magis et fiduciae plena depingatur, iam nihil restat, nisi ut hemichoria in hoc carmine vocibus alteruare statuamus, neque enim novimus aliam chori in duas partes dividendi rationem. Iam si primum ponimus matres atque famulas ea ratione discerni: ut famulas repraesentari putemus hemichorio *α*, fieri non potest propter vv. 606—8: *τίν' ἄν λόγον, τάλαινα, τίν' ἄν τῶνδ' αἰτία λάβοιμι*; quae non conveniunt nisi matribus: ab iis enim unis earum rerum ratio potest reposci. At ne alterius quidem hemichorii partes famularibus ascribi possunt: ita enim matres se ipsae appellarent: *ὦ μέλαι μελέων ματέρες λοχαγῶν*, quod admitti non posse supra ostendi. Eam autem rationem, ut alterum hemichorium alterum communi omnium choreutarum nomine appellaret, usitatam fuisse, indicat Troadum locus hic (165 sqq.):

*μέλαι μόχθων ἐπακουσόμεναι
Τροάδες ἔξω κομίσασθ' οἴκων.*

Itaque necessario in hoc carmine matres cum matribus colloquantur; nam in altera parte, quae et ipsa praebet colloquium inter duas personas, eandem rationem merito ponemus. Famularum cantui in hoc carmine locus est nullus, quas ne decet quidem ita cum matribus colloqui, quasi sibi essent pares. Indicat ipse Euripides, quid deceat famulas, cum primo carmine eas non iusserit matrum precibus assentiri, sed tribuerit iis non nisi breve carmen, quo luctum exprimerent vere servili in-

temperantia. — Quod sequitur carmen (178 sqq.) facile intelligitur ad unas matres pertinere: docent verba haec: 782: *ἔμοι δὲ παίδων εἰσιδεῖν μέλη κτλ.* et 786: *ἄγαμον μ' ἔτι δεῦρ' ἀεὶ κτλ.* — Quod sequitur carmen amoebaeum (802 sqq.) ipse Adrastus indicat se cum matribus velle alternis vocibus canere (800—1): *στεναγμὸν ὦ ματέρες — ἀύσα' ἀπύσα' ἀντίφων' ἐμῶν στεναγμάτων κλύουσαι.* — Iam sequitur carmen illud amoebaeum (1123 sqq.), quod cum choro alternantes canunt pueri, dum afferunt patrum cineres. Atque quoniam in ceteris canticis praeter primum famularum vocibus non esse locum ostendimus, nemo dubitabit, quin hoc quoque vel dicam potissimum in carmine, quod est totius tragoediae quasi culmen, matres unae canentes sint ponendae. — At quid fecit poeta famulabus? num silent per totam tragoediam? Quam difficultatem Wilamowitzius probabiliter sic mihi expedivit, ut Euripidem primo illo carmine spectatoribus omnino, quomodo chorus constitutus esset, sc. ex matribus et famulabus, ostendere voluisse diceret. Putandum enim est, initio fabulae matres tantum circum Aethram ad aram sedere, famulas separatas stare. Deinde postquam v. 271 matres de ara descendissent, eas cum famulabus in unum agmen convenisse, ita ut iam chori sollemnis forma esset restituta. Itaque cetera carmina a toto choro sunt cantata, etiamsi et vestitu et collocatione etiamtunc matres a famulabus differebant. Cum enim constituisset Euripides matres septem ducum supplices chori loco inducere, sollemnis tamen usus, ex quo chorus constabat ex XV personis, ratio erat habenda. Potuit igitur, quod Aeschylus in Supplicibus videtur fecisse,¹⁾ negligentia quadam numerum sollemnem pro eo, quem res postulabat, ponere, aut debuit aliis personis chorum supplere, ita ut chorus revera esset bipartitus per fabulam. Ea tamen ratio et sollemni scaenicae consuetudini, et ei, quod sequebatur, consilio obstrepuisse. Itaque mediam quandam viam ingressus est, cum adderet quidem famulas matribus (ut plenus fieret numerus), tamen non nisi primo alteroque carmine eam distinctionem servaret, postea totum chorum pro matribus poneret. Ita quoque intelligitur, quem-

¹⁾ Dissentit Wilamowitzius Herc. I¹, p. 90.

admodum potuerint matres, quae, ut opinor, V fuerunt, in duas partes discedere: nempe totus chorus, qui pro matribus accipiendus erat, in hemichoria divisus est.

Iam hac re intellecta carmen illud amoebaeum (1123 sqq.) quomodo cantatum sit quidque simul in scaena actum, videamus. Eo enim in loco totius quaestionis cardo vertitur. V. 1114 redeunt pueri patrum reliquias afferentes. Putandi autem sunt singuli singulas amphoras manibus tenere, quod sequitur ex Thesei verbis his (1165 sqq.):

*Ἄδραστε καὶ γυναῖκες Ἀργεῖαι γένος,
ὄρατε παῖδας τοῦσδ' ἔχοντας ἐν χερσὶν
πατέρων ἀρίστων σώμαθ' ὧν ἀνειλόμην.*

Errat enim Arnoldtius (l. c. p. 266 sqq.), cum neget Capanei cineres a puero in scaenam referri, nam quia eius corpus non extra scaenam crematum sit, sed prope templum, ne posse quidem cineres eius a puero allatos esse. Nam ex chori (980 sqq.) verbis sequitur, Capanei quoque corpus in domo aliqua cremari, quod vel eo firmatur, quod Euadna in ignem desilit. — Iam incipit cantus amoebaeus. Ac Wilamowitzius¹⁾ quidem putat, omnino unum tantum puerum cantasse. Hoc si verum est, ille unus certe ut omnium vicarius canere cogitandus est; nam quae matres canunt talia sunt, ut universo tantum choro conveniant, non singulis; ita omnes quoque pueros necesse est alloquantur. Loquitur enim chorus de se per numerum singularem more sollemni, tamen ut interdum pluralem immisceat (famulas non separatas canere supra vidimus). Unde autem hoc cognosci possit, unum tantum puerum cecinisse, non omnes, siquidem ex numero singulari (*φέρω, φέρω κτλ*), quo chori sollemniter utuntur, nihil concludi potest? Immo cum omnes matres una voce canant, condicioni mihi maxime convenire videtur, pueros quoque simul omnes canere. Quis enim non videt illud matrum *πῆ* — *φέρεις*, quod dicunt cum veniant omnes pueri manibus amphoras tenentes, respicere ad puerorum illud *φέρω φέρω κτλ*? Inde effici mihi videtur, pueros omnes cecinisse coniunctis vocibus. Similiter, quod infra v. 1139 canunt: *Βεβῆσιν κτλ*.

¹⁾ Herm. XVIII, p. 410.

ad omnes matres pertinet, ita ut omnibus pueris optime conveniat. Sic etiam, ut hoc addam, habemus scaenam multo vividiorē, splendidiorē, quam si singuli cum singulis colloquuntur. Accedit quod *παίδων χοροί* Athenis erant usitatissimi, ut Euripidem eos (sicut etiam in Theseo) tragoediis suis adhibuisse non sit mirandum. Etiam ceteri, quos novimus, chori adventicii uno ore coniuncti cecinisse videntur: *προπομποί* in Aesch. Eum., servi in Eur. Hipp., milites in Erechtheo,¹⁾ virgines nuptiales in Phaethonte.²⁾ — Iam videamus, quid in scaena agatur. V. 1160: *φέρ' ἀμφὶ μαστὸν ὑποβάλω σποδόν* indicatur, pueros matribus amphoras tradere, sc. singulae matres singulas amphoras accipiunt, ne ulla mater filii reliquiis careat. Constituimus enim matres a spectatoribus bene posse dignosci, et quoniam omnes pueros simul canere et agere demonstravimus, dubii nihil relinquitur, quin ea quoque actio ad omnes matres omnesque pueros pertineat. Inde clarissime primum hoc apparet: parem matrum, puerorum, amphorarum numerum fuisse; cum autem in scaena paullo ante quinque tantum corpora affuerint (cf. v. 925 sqq.), ego animum inducere non possum, ut Euripidem simili vel dicam maiore, atque quam supra demonstravi, negligentia nihilominus septem matres, septem pueros, septem amphoras finxisse credam. Illae enim aliae, quas cognovimus discrepantiae sive vitia, talia erant, ut facile a spectatoribus possent non observari, hoc vero nimis oculos offenderit, ita ut Athenienses, ut erant acres artis iudices, id patienter toleraturos fuisse non putem. Statuamus igitur, quinque matres, quinque pueros in scaena fuisse: iam hoc Arnoldtio (p. 75) concedemus, sic multo facilius chori numerum atque formam legitimam effici. Si enim binas singulis matribus tribuimus famulas secundum illud: *ἅμα δ' ἀμφίπολοι δὲ ἔποντο*, primus stoechus aptissime matribus datur, ceteri famulabus.

Iam **Herculis** tres pueros propius contemplemur. Hi quoque muti in scaena, quamvis infantes sermonis non compotes non sint cogitandi; namque verba eorum afferuntur, quibus matrem de patris absentia interrogaverint (74 sqq.). Similem

¹⁾ Fr. 369; cf. Wilam. An. Eur. p. 174.

²⁾ Fr. 781, 14 sqq.; cf. Wilam. Herm. XVIII, 409 sq.

aspectum, atque quem cognovimus in Heraclidis, habemus initio tragoediae, i. e. matrem Megaram, cui anxii applicantur Herculis tres filii, cum patre Herculis, Amphiarao, omnes in ara *Διὸς σωτήρος* supplices sedentes. V. 338 pueri cum matre domum intrant, ut vestes funebres induant. Redeunt v. 442 ex matre anxii pendentes, ut ad mortem ducantur. Deinde patri obviam eunt, ei applicantur flentes (529). Vere dramatice hic Euripides pueris usus est, cum eos faceret patrem redeuntem salutantes, arte se eius vestibus implicantes, donec, ut possit procedere, eos manibus accipiat, secum portet (629 sqq.); eam enim imaginem videntes magis quam meris verbis commovemur; sed de hac re infra plura dicam. Itaque pueros, etiamsi mutos, tamen paululum agentes habemus. Supremum corpora occisorum provolvuntur (1029 sqq.).

Mutum puerum habemus etiam in *Troadibus*, Astyanactem dico parvulum, qui v. 568 cum Andromacha in scaenam invehitur, ut simul cum armis Hectoris praedaque Archivorum ad Neoptolemum abducatur. Puerum revera gestum egisse concludimus ex his verbis (750—51):

*τί μου δέδραξαι χερσὶ κἀντέχει πέπλων,
νεοσσὸς ὡσεὶ πτέρυγας εἰσπίτων ἐμάς;*

V. 757 sqq. Andromacha eum ad se attollit pectorique apprimit complectitur osculatur. Apertissime, eam puerulum sustulisse, non se ad eum demississe, sequitur ex his versibus (762—63):¹⁾

*πρόσπιπνε τὴν τεκοῦσαν, ἀμφὶ δ' ὀλένας
ἔλισσ' ἐμοῖς νώτοισι καὶ στόμ' ἄρμωσον.*

Se applicare enim matri, brachia tergo circumdare, ut eam osculetur, non potest parvulus, qui modo vesti se implicabat, nisi sublatus. Ceterum sane tenerae aetatis Astyanactem cogi-

¹⁾ Vix opus est monere Andromacham primum in curru sedentem in orchestram invectam esse, deinde vero ad orationem proferendam (636) surrexisse, ita ut bene intellegatur Astyanactis parvuli gestus, scilicet quo matrem, ut se attollat, monere conetur. Fortasse Euripidi locus ille Homericus animo obversatus est, quod a Roberto didici: II, 7—10: *κούρη νηπίη, ἣ θ' ἄμα μητρὶ θέουσι ἀνέλῃσθαι ἀνώγει, εἰανού ἀπτομένη καὶ τ' ἐσσυμένην κατερύκει, δακρύνουσα δὲ μιν ποτιδέσκειται, ὄφρ' ἀνέλῃται.*

tandum esse vel inde patet, quod postea in scuto Hectoris sepelitur. V. 786 puer per Talthybbii ministros aufertur, ut de muro deiciatur. Postea (1119) corpus mortui, nimirum simulacro repraesentatum, in scaenam affertur.

Restat in Iphigenia Aulidensi Orestes parvulus, quem ego quidem a vero puero repraesentatum esse non credo; poeta enim eum semper ulnis portari voluit: cf. vv. 621/22:

*καὶ παῖδα τόνδε τὸν Ἀγαμέμνονος γόνον
λάζυσθ' Ὀρέστην· ἔτι γὰρ ἔστι νήπιος,*

et 1118/19:

*χὺπὸ τοῖς πέπλοις ἄγε
λαβοῦσ' Ὀρέστην, σὸν κασίγνητον, τέκνον.*

Adde quod Euripides hunc puerum consilio infantem, h. e. sermonis non compotem finxit: cf. vv. 465/6:

*παρῶν δ' Ὀρέστης ἐγγὺς ἀναβοήσεται
οὐ συνετὰ συνετῶς· ἔτι γὰρ ἔστι νήπιος.*

Cui loco opponenda sunt, quae de Herculis filiis modo monui. Ac ne actionem indicatam putes, quae abhorreat ab infantis natura, propono tibi versus 1241 sqq., quibus Iphigenia Orestis parvuli, quem manibus tenet, aspectu patrem commovere studet; omnia infanti optime conveniunt:

*ἀδελφέ, μικρὸς μὲν σὺ γ' ἐπικουρος φίλοις,
ὄμως δὲ συνδάκρυσον, ἰκέτευσον πατρὸς
τῆν σὴν ἀδελφὴν μὴ θανεῖν· αἰσθημὰ τοι
κἂν νηπίοις γε τῶν κακῶν ἐγγίγνεται.
ἰδοὺ σιωπῶν λίσσεται σ' ὄδ' ὃ πάτερ·*

Nec mira haec Orestis infantia: namque sequitur Euripides fabulae ut videtur formam sollemnem, qua narrabatur Orestem initio belli Troiani fuisse infantem in matris ulnis requiescentem: cf. Iph. Taur. 231 et Or. 377. Videtur eo Stesichori vestigia legisse, cuius in carmine argumentum illud expressum fuisse suspicor, Orestem, qui initio belli infans stultus fuisset, sensim ad officium suum ultionis cognoscendum corroboratum esse.¹⁾

¹⁾ Cf. Stes. frg. 41; ceterum Robertum, Bild und Lied, p. 149 sqq., praecipue p. 178. — In scypho quodam, q. d. Homericum, in quo ipsa illa ex Eur. Iph. scaena ficta est, Orestes aetate paullo provecus re-

Tales infantes, quales etiam plures invenimus, revera omnino simulacris repraesentatos esse statuo, quia pueris minimae aetatis in scaena publica locum non fuisse consentaneum est. Praeterea hoc respicias quaeso, in Aristophanis Acharn. eundem Orestem infantem in Telephi Euripidis irrisione cophino, potissimum autem eundem in Thesmophoriazasis, ubi eadem scaena ridetur, utre in infantis speciem exornato repraesentari. Quibus commentis comicum puto eum ipsum morem tragicum, simulacra pro infantibus producendi, ridicule voluisse imitari, sicut saepius tragicae scaenae instituta (e. g. *μηχαρήν, ἐκκύκλημα*) iocis suis profanavit.¹⁾

Nunc Aristophanis quae quidem exstant fabulas perlustremus. Iam in Acharnensibus pueri sive puellae in scaena aspiciuntur, sc. duae illae Megarensis hominis filiae, quas ille in porcorum similitudinem conversas vendit. Versantur in scaena a v. 729—834. Num de meris simulacris cogitandum sit,²⁾ equidem vehementer dubito, non tam, quia verba nonnulla poeta iis tribuisse videtur (735: *πεπρᾶσθαι πεπρᾶσθαι*, 780, 801, 802, 803: *κοί, κοί*), quam quia ipso illo loco haud ambigue actio puellarum indicatur (744: *ἀλλ' ἀμφίθεσθε καὶ ταδί τὰ ῥύγχα, κῆπειτεν εἰς τὸν σάκκον ὧδ' ἐμβαίνετε*). Ac si quantum ridiculi haberent tales actiones, poetam non ignorasse atque ob id ipsum talia finxisse consideramus, credere non possumus

praesentatus est, cum pedibus ambulet. Sed ut in eo artifex ab Euripide recessit, quod puerum humi stantem, non ab Iphigenia sublatum finxit, ita ne hoc quidem, quod eum maiorem repraesentavit, ex scaenae aspectu profectum esse putabimus. Adde quod Agamemnonem in throno sedentem fecit, quod ipsum quoque cum poetae consilio pugnat. Vid. 50. Berl. Winckelmannsprog. 1890, p. 51.

¹⁾ Etiam quarto a. Chr. saeculo simulacra pro infantibus in scaenam inducta esse docet frag. ex Hectore Astydantis alterius sumptum, quod sic apud Nauckium restitutum legimus:

*δέξαι κνήν μοι, πρόσπολ' . . .
μή καὶ φοβηθῆ παῖς.*

Nimirum Astyanax est cogitandus, qui ut infans simulacro repraesentatus est. Fragmentum Robertus mihi ostendit.

²⁾ Quod coniecit O. Müller, Hist. Litt. II⁴, 13.

inania simulacra pro vivis pueris sive puellis in scaenam esse prolata. Accedit quod, quae est iocorum (a v. 781) obscoenitas, puellas potissimum in scaena monstrari poeta voluisse videtur, quod Wilamowitzius me docuit. Vel hac de causa coniectura illa Beerii,¹⁾ Nicarchum sycophantam, qui postea (869—917) in scaena est, ab altero puerorum, qui Megarensis filiarum personas gesserint, esse repraesentatum, reicienda est; nam tot verba puellulas in theatro protulisse sane incredibile est; filiam potius illam, quae cum matre in pompa Dionysiaca (245) inducitur, et Nicarchum eiusdem fuisse actoris suspicor. In vocibus puellarum non offendendum est, siquidem pauci illi soni facile ab alio aliquo emittebantur, sicut in *Lysistrata* Cinesiae filioli voces alium actorem suscepisse inveniemus.

In *Equitibus* Aristophanes ex vita cotidiana puerum, quae fert *ὀκλαδία*, induxit, quem sane merum *δορυφόρημα* merito appellabimus (v. 1384).

In *Vespis* in scaenam prodeunt pueri praelucentes choro, qui v. 230 ante solem ortum orchestram intrat. V. 408 sqq. pueri a coryphaeo dimittuntur, ut Cleonem arcessant, quod artificium poeta nimirum tantummodo ad pueros removendos finxit. Vel inde hoc quoque sequitur, eos pueros praebere revera ornamentum huius fabulae proprium, nec partem chori fuisse, quod G. Hermannus suspicatus est. Omnino enim de his puerorum partibus magnae inter viros doctos ortae sunt controversiae; nam neque quot pueri fuerint, neque quomodo verba a poeta sibi tributa protulerint, clare indicatum est. Atque G. Hermanni sententiam,²⁾ existimantis quattuor pueros a quattuor chorentis (statura brevioribus) esse repraesentatos, honoris tantum causa affero. Nam cum pueris v. 408 ad Cleonem dimissis remanere non possint nisi XX chorentae, ad eam delabimur coniecturam sane monstruosam, ut chorum per maximam fabulae partem adeo mutilatum vice sua functum esse arbitremur. Deductus autem Hermannus ad eam sententiam est, quod omnino pueros canentes in scaenam admitti non posse sibi

¹⁾ C. Beer, Ueber die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes, Leipzig 1844, p. 59.

²⁾ De choro Vesperum 1843; opusc. VIII, 253.

persuaserat, qua de re nobis infra fusius disputandum erit. Quod ad numerum puerorum attinet, iam Beerius¹⁾ verum vidit: tres fuisse propter tres Carcinitas, qui in fine fabulae (1501 sqq.) prodeunt saltaturi. Qui cum ob brevem corporum staturam irrideantur, a pueris atque iis quidem ipsis, qui antea laternas tulerant, acti esse putandi sunt, siquidem parachoregemate semel inducto largius uti sollemnis fuit poetae ars; itaque tres habemus pueros praelucentes, nam tres videntur Carcinitae saltavisse. Hanc vero coniecturam I. Richter²⁾ non pro certa accipiens inter varias sententias dubius pendet. Cum enim propter v. 1512:

ὦ Καρκίν', ὦ μακάριε τῆς εὐπαιδίας

patrem ipsum cum tribus filiis saltavisse, aut etiam propter sequentem versum:

ὅσον τὸ πλῆθος κατέπεσεν τῶν ὀρχίλων

plures homunculos in orchestra apparuisse credibile sit, aut tres aut quattuor aut plures quoque pueros praelucentes cogitari posse. At qui poetae usum novit, tam obscure eum personas prodeuntes non signare probe scit, ut non dicam hoc nihil habere mirandi, quod Carcinus, sive adest inter spectatores sive non, ob filiorum virtutes appellatur atque celebratur. Quod attinet autem ad versum 1513:

ὅσον τὸ πλῆθος κατέπεσεν τῶν ὀρχίλων,

inde magnam homunculorum multitudinem in orchestram prodiisse concludi omnino non potest, quia illud enuntiatum arcte pendet ex antecedente, speciatim spectat ad vocem *εὐπαιδίας*, quae nimirum ad tres Carcini filios referenda est. Quod autem de tribus vocem *πλῆθος* usurpavit, eo aptissime explicatur, quod tres fratres deinceps scaenam intrant, ita ut alius alii corporis brevitate et miro habitu antecellat (1511: *ὁ σμικρότατος*), qua re multitudinis species oritur. — Iam quid de ratione pronuntiandi erui possit, videamus. Primum hoc monendum est, colloquium inter patres et filios (sive patrem et filium) habitum (248—257), quo poeta puerorum lasciviam egregie depinxit,

¹⁾ l. c. p. 49 sq.

²⁾ Prolegom. ad Ar. Vesp. Berol. 1858, p. 53 sqq.

recte intellegi non posse, nisi inter eosdem incipitur et pergitur et non modo hic modo ille puer respondet (quod Richterius voluit). Cum vero metrum illius partis (tetr. iamb. cat. cum syncopa in quinto pede) ad sermonem propius accedere videatur,¹⁾ cum Westphalio²⁾ eos versus singulos cecinisse statuemus. Itaque apparet hoc loco coryphaeum cum uno eodemque puero vocibus alternasse, atque sponte se offert maximus ille puerorum (qui postea primus Carcinitarum prodit) dignissimus, cui hoc munus vindicemus. Tamen unus ille pro omnibus verba fecisse cogitandus est, sicut omnes videntur antea peccavisse (250), omnes una vapulavisse (254: *εἰ νῆ Δί' αὐθις κοινδύλοις νουθετήσεθ' ἡμᾶς*). At carmen quod sequitur amoebaeum (291—315) certe omnes pueri cum toto choro alternantes cecinerunt. Quod enim antecedit carmen ab universo choro cantatum esse luculenter ex his coryphaei verbis apparet (270/71):

*ἀλλά μοι δοκεῖ σᾶντας ἐνθάδ' ὄνδρες
ἄδοντας αὐτὸν ἐκκαλεῖν.*

Cum igitur in eiusdem carminis fine universus chorus cecinerit (290):

ὑπαγ' ὦ καὶ ὑπαγε,

pueros quoque omnes una voce respondisse putabimus. Qui morem chororum sollemnem secuti numero singulari et plurali promiscue utuntur. Itaque conamina illa, quibus inter singulos pueros singulae partes a Richtero³⁾ distribuuntur, tractare supersedeo.

In **Pacis** initio (114) filiolae Trygaci prodeunt. Duae videntur fuisse secundum schol. Ven. ad v. 137: *ὦ μελέα· δὺκῶς· λέγει δὲ πρὸς ἄμφω τὰ παιδία*. At dubitari potest, utrum revera hoc scholium antiquam memoriam praebet, an *μελέα* singularis potius existimandus sit. Sic enim legendum est, non *μέλ' ἄν*, quod *ἔδει* non eget particula *ἄν*. Itaque Richterius⁴⁾ septem puellas fuisse suspicatur ex septem, quos

¹⁾ Cf. vv. 270/71 et Nubb. 1212, ubi idem metrum occurrit, ab encomio, quod antea canitur, discretum.

²⁾ Roszbach-Westphal, *Metr.* 3 p. 239; cf. C. Muff, *Ueber den Vortrag d. Chorpartieen bei Arist.*, Halle 1872, p. 40.

³⁾ l. c. p. 54.

⁴⁾ *Prolegom. ad Ar. Pac.*, Berol. 1860, p. 54.

traditos legimus, earum sermonibus. At non licet talia concludere nisi ex haud ambiguis poetae indiciis. Illic vero colloquium plane progrediens habemus; comicus autem, simodo ei praesto fuisset materia talis: septem pacifici viri filiolae, ea largius pro ingenio suo usus esset. At, ut quaestionem solvamus, proficiscendum est ex eo in fine fabulae loco, ubi aperte duo pueri, Lamachi et Cleonymi filii, inducuntur (1265 sqq.). Verisimillimum enim est, eosdem duos pueros primum Trygaei filiarum, tum Lamachi Cleonymique filiorum personas gessisse, ita ut scholiastae illam notam sibi stare videamus. Lamachi filium multa canentem audimus: itaque non dubito eidem puero, qui hunc egerit, ut sollertiori, cantum illum puellae (114—118) tribuere, qui unius tantum ori convenire videtur.¹⁾ Quod sequitur colloquium idem certe puer cum patre habuit, quoniam unum tantum cum illo confabulari ex causis supra allatis consentaneum est.

Restat ut de *Lysistrata*, in qua Cinesiae et Myrrhinae filiolus inducitur (845—968), pauca dicamus. Qui certe infans minimae aetatis est cogitandus, aperte enim ἄθρηλος vocatur, lactens igitur est (881); adde quod postea a servo aufertur, sane qui ambulare nondum possit. Itaque constat de vero infante hic dicendum non esse; sed simulacrum tantum in scaenam apportatum est sicut in *Iphigenia Aul.* etc., cui opinioni clamores infantis non obstant (879); quid enim facilius, quam histrioni alicui tria illa verba mutata voce proferenda tribuere?

Iam fabulis superstitibus perlustratis quantum in deperditarum tenebris etiamnunc cognosci nostraeque quaestioni adhiberi possit, videamus.

Ex Aeschyleis unam tantum habeo tragoediam, cuius inter personas puer sive infans fuisse videatur: *Telephum* dico, in qua Aeschylum idem quod Euripides in eiusdem tituli tragoedia argumentum expressisse suspicamur. Dico notam illam

¹⁾ Dissentit Muffius, l. c. p. 111.

ex Hygino fabulam (CI), qua narratur Telephum, ut vulneris, quod ab Achille acceperat, medelam nancisceretur, in castra Achivorum ingressum, raptο parvulo Oreste, obsidis loco, Achillem se sanare coegisse. Responsum enim ei ab Apolline erat eundem, qui vulnerasset, sanaturum esse. — Orestes ille nimirum infans¹⁾ minimae aetatis cogitandus est ex vulgari, quam supra attigi (p. 235), memoria. Nobilem illam, qua Telephus Orestem rapit, scaenam, quae apud Euripidem praecipuum in fabula locum tenuisse videtur, ne apud Aeschylum quidem defuisse scholiasta ad Ar. Ach. 332 testatur: *ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχη παρὰ τοῖς Ἑλλήσι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβῶν*. nam etiamsi ubique ibi Euripides irridetur, ita ut nonnulli homines docti illud *Αἰσχύλον* per errorem positum esse coniecerint, equidem animum iudicare non possum, ut ullum commentatorem, quisquis fuit, tam stupidum putem, ut Euripideam fabulam respici non sentiret. Mirus profecto esset commentatoris error, cum Aeschyleam afferret Telephum, qua Euripideam multo nobiliorem, multo diutius notam fuisse testimonia docent.²⁾ Itaque eandem sive similem scaenam apud Aeschylum occurrisset statuamus, etiamsi non ut apud Euripidem Telephus Oresti necem minatus esse, sed eum tantum obsidem occupasse videtur, quod cernimus in antiquiore vasculo.³⁾ Infans ille nimirum simulacro repraesentatus est, sicut pro Prometheo quoque in initio fabulae simulacrum est substitutum. Neque in eo offendendum est, quod talia, ut raptum infantis, in scaena Aeschylea omnino occurrisset puto; multo enim plura agebantur in antiqua quam in posteriore scaena, sicut e. g. Hercules in *Προμηθεὶ λυομένῳ* inductus est aquilam sagitta occidens.⁴⁾ Itaque Euripides hac in re Aeschylum imitatus est.

¹⁾ Conveniunt Hygini verba: „Orestem rapuit de cunabulis“.

²⁾ Vid. frgm. apud Nauckium. Ceterum cf. quae infra de Eur. Telepho disputavi.

³⁾ Vid. O. Jahn., Arch. Aufs. tab. 2; cf. Robert., Jahrb. des Kaiserl. Deutschen Arch. Inst. II, 1887, p. 248.

⁴⁾ Quod docuit G. Haupt, comment. arch. in Aesch., dissert. inaug. Hal. 1896, apud Niemeyerum, p. 121.

Iam Sophocleas fabulas adeamus.

In Atreo sive Mycenaeis famosam illam „cenam Thyestae“ tractatam fuisse constat. Eandem materiam Euripides in sua Thyesta tractavit.¹⁾ At utriusque fabulae lineae etiamnunc tanta caligine sunt obvolutae, ut ex accurata tantum omnium testimoniorum examinatione lux aliqua a nobis sperari possit. Priusquam igitur ad tragoedias ipsas accedamus, quae ante tragoediam fuerit vulgaris fabulae forma, constituendum est. Quem ad finem primum eam narrationem, quam Apollodori epitoma Vaticana exhibet, comparemus cum ea, quae exstat in Euripidis Electra. Ibi enim chorus fusius totam earum rerum conexum profert, certe vulgarem quaeque tragicorum commentis non est tacta memoriam sequens, quod ex ipso cantici Euripidei initio elucet. Postea apposui Aeschylli ex Agamemnone de fratrum discidio narrationem, quae ipsa quoque pro antiqua memoria habenda est. Cum loco illo ex epitoma Vaticana sumpto fere plane concinunt schol. Hom. B, 105 AD et schol. Eur. Or. 812 A, quae narrationes tamen non ultra Thyestam ab Atreo expulsam procedunt.

Eur. El. (700sq.)

.. κληδὼν ἐν πολιᾶσι φάμαις
μένει . . . Πᾶνα . . . χρυσέαν
ἄρνα καλλιπικόν πορευῶσαι·
πετρίνοις δ' ἐπιστάς κᾶρυξ
ἴαχεν βάθροισ· ἀγορὰν ἀγο-
ρὰν Μυκηναῖοι στείχετε μακα-
ρίων ὀφόμενοι τυράννων φάσ-
ματα δείματα. χοροὶ δ' Ἀτρεϊ-
δᾶν ἐγέφαιρον οἴκους κτλ. κρυ-
φαίαις γὰρ εὐναῖς πείσας ἄλο-

Ep. Vat. (2, 5sq.)

ὁ δὲ Ἄτρεὺς εὐξάμενός ποτε
τῶν αὐτοῦ ποιμνίων, ὅπερ
ἂν κάλλιστον γένηται, τοῦτο
θῦσαι Ἀρτέμιδι, λέγουσιν ἄρ-
νός φαιέσης χρυσῆς ὅτι κατ-
ημέλισε τῆς εὐχῆς· πνίξας
δὲ αὐτὴν εἰς λάρνακα κατέ-
θετο κάκι ἐφύλασσε αὐτήν·
[μέγα δέ τι φρονούντα ἐπὶ τῷ
κτῆματι κομπάζειν κατὰ
τὴν ἀγορὰν].²⁾ ἦν Ἀερόπη
δίδοσι τῷ Θυέστη μοιχευ-

¹⁾ Thyestam a Cressis diversam esse non opus est iterum affirmare. Cenam Thyestae potissimum in Thyesta tractatam fuisse ostendit Bergkiius ex Aristoph. Proagon. frgm. apud Meinekium, frgm. com. Graec. II, p. 1137/38.

²⁾ Hoc in unis scholl. Hom. et Eur. legitur.

χον φίλαν Ἀτρέως, τέρας ἔκκομιζει πρὸς δῶματα.

νεόμενος δ' εἰς ἀγόρους ἀύτει τὰν κερόεσσαν ἔχειν χρυσόμαλλον κατὰ δῶμα ποιίμναν.

τότε δὴ τότε φαεινὰς ἄστρον μετέβασ' ὁδοὺς Ζεὺς καὶ φέγγος ἀέλιον λευκόν τε πρόσωπον αὐῶς κτλ.

Aesch. Agam. 1583 sqq. (Weil.) Ἀτρεὺς γὰρ ἄρχων τῆσδε γῆς, τούτου πατήρ, πατέρα Θυέστην τὸν ἑμὸν, ὡς τορῶς φράσαι, αὐτοῦ δ' ἀδελφὸν, ἀμφίλεκτος ὢν κράτει, ἠνδρηλάττησεν ἐκ πόλεως τε καὶ δόμων.

καὶ προστρόπαιος ἐστίας μολὼν πάλιν τλήμων Θυέστης μοῖραν ἠῦρετ' ἀσφαλῆ, τὸ μὴ θανὼν πατρῶον αἰμάξαι πέδον αὐτός.³⁾ ξενία δὲ τοῦδε

θείσα ὑπ' αὐτοῦ. χρησιμοῦ γὰρ γεγονότος τοῖς Μυκηναίοις ἐλέσθαι βασιλέα Πελοπίδην¹⁾, μετεπέμφαντο Ἀτρέα καὶ Θυέστην. λόγου δὲ γενομένου περὶ τῆς βασιλείας ἔειπε Θυέστης τῷ πλήθει τὴν βασιλείαν δεῖν ἔχειν τὸν ἔχοντα τὴν ἄρνα τὴν χρυσῆν· συνθεμένου δὲ τοῦ Ἀτρέως δείξας ἐβασίλευσε.²⁾ Ζεὺς δὲ Ἐρμῆν πέμπει πρὸς Ἀτρέα καὶ λέγει συνθέσθαι πρὸς Θυέστην περὶ τοῦ βασιλεύσαι Ἀτρέα, εἰ τὴν ἐναντίαν ὁδεύσει ὁ Ἥλιος. Θυέστου δὲ συνθεμένου τὴν δύσιν εἰς ἀνατολὰς ὁ Ἥλιος ἐποιήσατο· ὅθεν ἐκμαρτυρήσαντος τοῦ δαίμονος τὴν Θυέστου πλεονεξίαν, τὴν βασιλείαν Ἀτρεὺς παρέλαβε καὶ Θυέστην ἐφυγάδευσεν. αἰσθόμενος δὲ τῆς μοιχείας ὕστερον κήρυκα πέμψας ἐπὶ διαλλαγὰς αὐτὸν ἐκάλει. καὶ ψευδόμενος εἶναι φίλος, παραγενομένου τοὺς παῖδας, οὓς εἶχεν ἐκ νηίδος ῥύμφης, Ἄγλαὸν καὶ Καλλιλέοντα καὶ Ὀρχομενόν, ἐπὶ τὸν Διὸς βωμὸν καθέσθ' ἐντας ἰκέτας ἔσφαξε, καὶ μελίσας καὶ καθειψήσας παρατίθησι Θυέστη χωρὶς τῶν

¹⁾ Hoc enuntiatum deest in scholl. Hom. et Eur.

²⁾ Hoc enuntiatum omissum est in scholl. Hom. et Eur.

³⁾ Cf. Blomfieldus pro trad. αὐτοῦ.

δύσθεος πατήρ Ἀτρεὺς, προ-
θύμως μᾶλλον ἢ φίλως, πατρὶ
τῆμῳ, κρεοῦργον ἡμᾶρ εὐθύ-
μως ἄγειν δοκῶν, παρέσχε
δαίτα παιδείων κρεῶν. + τὰ
μὲν ποδῆρη καὶ χερῶν ἀκ-
ροὺς κτένας + ἔθρυπτι ἄνω-
θεν ἀνδρακᾶς καθήμενος
ἄσημ' ὃ δ' αὐτῶν ἀντίκ'
ἀγνοίᾳ λαβὼν ἔσθει βορᾶν
ἄσωτον κτλ.

ἄκρων, ἐμφορηθέντα δὲ δείκ-
νυσι τὰ ἄκρα καὶ τῆς χάρας
αὐτὸν ἐκβάλλει.

Mirandum non est, non omnia, quae apud Apollodorum
narrantur, in Euripideo quoque cantico occurrere, quoniam
poeta pro chori sublimi dicendi ratione res subobscure ab-
rupteque profert. Itaque in initio potissimum noli discrepantias
statuere. Nimirum Epitomator Vaticanus pristinam fabulae
formam affert, secundum quam totius discidii origo ad neglectum
Atrei votum, quod Dianae fecerat, referebatur.¹⁾ Quod vero
Euripides de voto illo omnino tacet, inde eum aliam formam
respicere colligi nequit. Simili brevitate postea miraculi
illius rationes prorsus omittit, cum nihil dicat de illa pactione,
quam Iuppiter Atreum cum Thyesta facere iusserat. Immo ex
eis verbis, quibus agnum aureum advenisse dicit (*Πᾶνα . . .
χρυσίαν ἄρνα . . . πορεῦσαι*), patere mihi videtur, eum similem
atque epitomatores fabulam in mente habuisse. In prisca
enim fabula narrabatur agnum nescioquomodo subito inter
pecora Atrei apparuisse (*ἀρνὸς φανείσης*). Idem certe dicit
Euripides, siquidem Faunus, deus pecorum, sollemniter talium
rerum auctor putabatur. Aliter constat rem narratam esse in
recentiore fabula (quae etiam in Alcmeonide occurrebat), sc. a
Mercurio agnum missum esse. Eam formam Euripides in Orestis
chorico (995 sqq.) sequitur, ubi aliae quoque discrepantiae
occurrunt, quae haud scio an recte eidem auctori ascribendae
sint.²⁾ Sed utut hoc est, pro certo accipio Euripideae Electrae

¹⁾ Cf. Th. Voigt, De Atrei et Thyestae fabula, dissertatt. philol.
Hal. VI, p. 334.

²⁾ Mirum enim hoc potissimum est in illo cantico, quod Aeropae
adulterium post cenam Thyestae demum narratur. Quod nisi temere

canticum et narrationem Epitomae Vaticanae eandem exprimere fabulae formam. Idem valet de Aeschylea narratione cum Apollodorea comparata. Neque enim in eo haereri debet, quod apud Apollodorum Atreum per dolum fratrem allexisse legimus, de qua re tacet Aeschylus. Aegisthus enim summam tantum rerum tangit; itaque satishabet iniurias supplicibus illatas afferre, quo summo scelere illud, quod amicitiam simulaverat, quasi involvitur. Itaque ex verbis: *προστρόπαιος ἑστίας μολῶν πάλιν* Thyestam sponte rediisse concludi posse nego.¹⁾ Nonne consentaneum est, in epico carmine, cuius argumentum erat impia fratrum lis, narratum fuisse, Thyestam tantopere propter pristinas iniurias fratri diffidere, ut deorum se tutelae credere malit? Ita in Euripidis Phoenissis (272 sqq.) Polynices, etiamsi *ὑπόσπονδος* intrat urbem, tamen turpissimas insidias sibi parari suspicatur, cum *βωμῶνος ἐσχάρας* respiciat, ad quas confugiat. Hoc veteris carminis argumentum etiamnunc in Vaticana narratione discernimus, qua Atreus, postquam amice fratrem revocaverit, eius liberos supplices in ara Iovis sedentes mactavisse traditur. — Quae cum ita sint, ego non dubito illam Apollodorean narrationem pro antiqua memoria habere, qualis fortasse apud Pherecydem legebatur, cui etiam Th. Voigtius²⁾ priorem partem tribuit ex auctoritate schol. Eur. Or. 997 ABI: *Φερεκύδης δὲ οὐ καθ' Ἐρμοῦ μῆνιν φησι τὴν ἄρνα ὑποβληθῆναι, ἀλλ' Ἀρτέμιδος.*³⁾ Sed eidem tota narratio tribuenda mihi videtur; nam eum omnino de fratrum rixa atque notissima illa cena Thyestae tacuisse non credibile est, siquidem ea iamdiu ab omnibus ferebantur (*τὰ ἐπώνυμα δειπνα Θυέστου*). Quod

factum putamus, sic fortasse explicandum est, ut poenam Atrei in illa fabula non iam desiderari statuamus; non enim votum neglexerat; Aeropæ enim adulterium pro Atrei poena in pristina fabula habendum est. In recentiore autem fabula Atreus post cenam demum sceleri est obnoxius.

¹⁾ Quae est Straussii sententia: De ratione inter Senecam et antiquas fabulas Romanas intercedente, dissert. inaug. Rostoch 1887, p. 61, n. 1.

²⁾ L. c., p. 400 sqq.

³⁾ Voigtius iam vidit (p. 405), non iratam Dianam intellegendam esse, sed nihil nisi hoc: Dianam agnum misisse, ita ut potius ἐπ' Ἀρτέμιδος legendum sit.

autem desiderari Voigtius dicit poenam Atrei, qui votum Dianae factum neglexerit, Aeropae adulterium pro poena eius habendum esse Robertus me monuit; conferenda est Minois Pasiphaesque fabula, quae simillimum praebet argumentum. — Iam cum per hanc totam quaestionem cognoverimus, in Epitoma Vaticana antiquam et vulgarem de Atrei et Thyestae discidio exstare fabulam, eam omnino non valere ad eas quas quaerimus tragoe-
dias recognoscendas apparet. At novum habeo argumentum, quo non solum illa coniectura confirmatur, sed etiam aditus ad ipsas tragoedias datur, quod pertinet ad illam de Solis regressu fabulam. Primitus narrabatur Solem post furtum Thyestae revertisse, quod docet canticum Euripideum et narratio Apollodorea. Euripides in miraculo illo offendit, quod tradit schol. Or. 998 ABI: *πιθανῶς ὁ Εὐριπίδης τὸν μῦθον προσήρμοσεν ὁ γὰρ φυσικὸς λόγος τὸν ἥλιον ἀποδείκνυσι τὴν ἐναντίαν ἴοντα πορείαν τῷ οὐρανῷ*. Huc etiam probabilissime refertur frg. inc. 861:

*δείξας γὰρ ἄστρον τὴν ἐναντίαν ὁδὸν
δήμους τ' ἔσωσα καὶ τύραννος ἰζόμην.*

Quae verba si Atreo tribuimus, ita intellegenda videntur, ut Euripidem hoc finxisse putemus, Atreum non Iovis miraculo, sed propter sapientiam suam ad res caelestes pertinentem a populo regem creatum esse. Nonne Euripides ipse clarissime incredulitatem suam patefecit in cantico illo Electrae, ubi, postquam vulgarem opinionem protulit, haec adicit (El. 737 sqq.): *λέγεται τὰν δὲ πίστιν σμικρὰν παρ' ἔμοιγ' ἔχει, στρέψαι θερμὰν ἀελίου χρυσωπὸν ἔδραν ἀλλάξαντα δυστηχία βροτείῳ θνατῷς ἔνεκεν δίκας*. Sophocles miraculum servavit, sed audaci felicissimaque arte transposuit post cenam Thyestae, quam voluit quam horridissimam depingere. Hoc testatur Statyllius Flaccus (Anth. Pal. IX, 98).¹⁾

*Οἰδίποδες δισσοί σε καὶ Ἠλέκτρον βαρύνμητις
καὶ δειπνοὶς ἐλαθεὶς Ἀτρέος Ἥλιος*

• *ἄλλα τε πουλυπαθέσσι, Σοφόκλειες, ἀμφὶ τυράννοις κτλ.*

Nunc vero testimonio illi in litteris mythographicis Graecis uni, quod eandem fabulae formam, i. e. Solis regressum post cenam Thyestae positum, praebet, maiorem fidem habebimus,

¹⁾ Hoc Straussius attulit, l. c. p. 64.

praeterquam quod illi etiam Sophoclis nomen aperte appositum est: schol. Eur. Or. 812 Gu I. (Postquam Atreo a Mercurio agnum aureum missum esse narratum est, sic pergitur:) *καὶ μέλλοντος Ἀτρώως δείξαι τὸ τέρας τοῖς δικασταῖς καὶ λαβεῖν τὴν ἀρχὴν, Ἀερόπη, ἢ τοῦτου γυνή, μοιχομένην Θυέστη, τῷ ἀνδραδέλῳ, κλέψασα τοῦτο παρέδωκεν αὐτῷ. Θυέστης δὲ λαβὼν τοῦτο καὶ δείξας τοῖς δικασταῖς τῆς ἀρχῆς ἐκράτησε. μὴ ἀνασχόμενος οὖν Ἀτρεὺς τὴν συμφορὰν καὶ δυσχεραίνων, ὅτι ἀδίκως ἐστέρηται τῆς ἀρχῆς, ὁμοῦ τε τὴν γυναῖκα Ἀερόπην τιμωρεῖται κατ' ἄμφω, καὶ ὅτι ἐμοιχεύετο Θυέστη καὶ ὅτι κέκλοφε τὸ ἀρνίον καὶ δέδωκεν αὐτῷ, ῥίψας αὐτὴν εἰς τὴν θάλατταν,¹⁾ ὡς φησι Σοφοκλῆς, καὶ τοὺς τρεῖς υἱοὺς τοῦ Θυέστου, Ἀγλαὸν Ὀρχομενὸν καὶ Κάλειον ἀποκτείνας παρέθηκεν εἰς τράπεζαν τῷ πατρὶ καὶ αὐτὸν ὑστερον ἀπέκτεινεν. δι' ἃ ὁ ἥλιος μὴ στέργας τὸ παράνομον μίαν ἡμέραν ἐκ δυσμῶν πρὸς ἑω διφρεύει. σὺν αὐτῷ δὲ καὶ αἱ πλειάδες τὴν ἐναντίαν ὁδὸν ἐβάδισαν.* Praeter miraculum transpositum hoc novum in hac narratione cernitur: quod Aeropa in mare praecipitatur (quae quidem est sollemnis adulterarum poena), quod Thyestes ipse quoque interficitur; quae res nusquam alibi occurrunt: habemus igitur prorsus singularem fabulae formam, quam ex causis allatis Sophocli tribuere non dubito: ea omnia scelera Sophoclem in Atreum contulisse vel inde apparet, quod aperte scholiasta affirmat, post omnia exacta demum solem tergum vertisse.²⁾ Iam cur „Atrei“ nomen fabulae imposuerit, cognoscimus, scil. quia eius potissimum mores fortunamque depingendos sibi proposuerat, sane horridam imaginem! Nam illum in tota tragoedia medium locum obtinere videmus, cum, quomodo insatiabilem fere suam ulciscendi cupi-

¹⁾ Spectare hic scholiastam Soph. Ai. 1297 (quod Dindorfius putavit) vix crediderim, quia ibi non de Atreo, sed de Catreo, Aeropae patre, sermo est. Sed etiamsi erraverit scholiasta, sufficiunt testimonia, ut illam fabulae formam Sophocleam esse credamus.

²⁾ Eandem materiam Petersenus (Progr. Dorpat, 1877, p. 6) ascribit Atreo Sophoclis, oppugnans Welckerum, qui Thyestam ab Atreo interfectum alii tragoediae vindicaverat. Ceterum ille fusius de duabus Sophoclis Thyestis disputat, quarum argumenta in Hygin. fab. LXXXVIII latere probabiliter conicit, etiamsi de vasculo (Conze, Vorl.-Bl. Ser. III, IV, 2), quod eo referri vult, dubitari potest.

ditatem in uxore et fratre expleret, in ea fabula expressum esse videatur, cui cupiditati eo usque indulgeret, donec solus fere ex tota gente relinqueretur, tot tantisque sceleribus onustus, ut vel dei taedium suum aperte ostenderent, ipse vero, ut opinor, miraculo illo perterritus, in summam rerum gestarum paenitentiam concideret. — In „Thyestis“, quarum alterius actio Sicyone fiebat, Sophocles prorsus alia argumenta tractavit,¹⁾ quae Hyginus fab. LXXXVIII enarrare videtur; propterea quoque suspicor eum prius illud de discidii initio argumentum, quod in capite fabulae posuit, brevissime tantum tangere, scil. ut rerum conexum exponeret; cetera enim satis fuse narrat. — Brevitati scholiastae tribuendum videtur, quod non narrat, qua ratione Atreus imperium recuperaverit; cum enim in primitiva fabula hoc fuerit, eum a Iove ipso, solem regredi iubente, ut legitimum regem designatum esse, in Sophoclea fabula, in qua illud miraculum transpositum erat, nova ratio capessendi imperii requiritur. Id mihi reiiciendum videtur, eandem quam Euripides Sophoclem rationem adhibuisse, nempe ut Atreum per suam rerum caelestium cognitionem regnum adeptum esse fingeret. Ita enim idem de solis regressu argumentum bis in eadem fabula sub diversis formis occurrisset. Immo ea testimonia, unde illud concludi possit, ad „Thyestas“ referendas censeo, nisi omnino Sophoclis nomen per errorem pro Euripidis positum est: cf. Soph. frg. inc. 671 et 672 cum nota Achill. Tat.: *Σοφοκλῆς δὲ εἰς Ἀτρέα τὴν εὐρεσίαν (τῆς ἀστρονομίας) ἀναφέρει.* — Iam via hoc modo patefacta quatenus ceteris de utraque tragoedia testimoniis adhibitis progredi possimus, videamus. Ribbeckio et Straussio²⁾ astipulandum est, Ennium Euripidem, Accium Sophoclem secutum esse, quod etiam eo firmatur, quod Accius quoque Solis regressum post cenam Thyesteam posuit (fr. XIII). Certum hoc videtur, apud Euripidem Thyestam ficta paupertate atque miseria supplicem cum filiis ad fratrem venisse (cf. Strauss., l. c. p. 59/60). Itaque hoc probabilissimum est, eum initio fabulae (in prologo) cum filiis ad aram Iovis (cf. Ep. Vat.: *ἐπὶ τὸν Διὸς βωμόν*, et frg. Enn. VII: *Aspice hoc sublime*

¹⁾ Cf. superioris paginae notam 2.

²⁾ L. c., p. 58 sqq.

candens, quem invocant omnes Iovem) sedisse atque spectatoribus quis esset patefecisse; huc cum Ribbeckio referendum frg. IV:

Quemnam te esse dicam, qui tarda in senecta?

Illud igitur argumentum: „Thyestam cum filiis ad aram sedentem“ Euripides ex antiqua memoria sumpsit, etiamsi agendi rationes Thyestae prorsus immutavit. Quid Thyesta contra fratrem molitus sit, quomodo ille eum eiusque insidias cognoverit, tamen ficta gratia eum deceperit, non iam possumus discernere. Tamen eum pueris ad exsequendum dolum usum esse non ita veri est dissimile, quia hoc artificio facillime potuit misericordiam movere. Fragmentum illud, quo Atreus de scientia sua rerum caelestium atque imperii occupatione gloriatur (861), ex longiore q. v. ῥήσσει Atrei, qua suas virtutes, fratris iniurias exponebat, sumptum videtur. — Sophoclea fabula, ut supra exposuimus, et Aeropae poenam et cenam Thyestae et caedem ipsius Thyestae continuit. Cum igitur in his sceleribus, i. e. Atrei ulciscendi effrenato furore repraesentando, summa dramatis posita fuisset, talia qualia Euripides finxit, insidias Thyestae, cognitionem eius, Sophocles omisisse putandus est. Immo etiam frg. III Atrei Accianae docet Thyestam statim advenientem, idque sua sponte, ab Atreo, qui eius scelera iam perspexisset, cognitum esse:

iterum Thyestes Atreum adtractatum advenit,
iterum iam aggreditur me et quietum exsuscitat:
maior mihi moles, maius miscendumst malum,
qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

Praeterea apud Accium videmus Thyestam in scaena ipsa cognoscere horrendum facinus (frg. XIV), apud Ennium vero Thyestes iam conscius factorum egreditur e domo (fr. VIII). Itaque ego non dubito scaenam illam vere tragicam Senecae, quam eum non ex suo ingenio hausisse opinor, eam dico, qua Thyestes post ipsam cenam primum dormiens, deinde modo securus cantans, modo curis vexatus ostenditur (Thy. 901 sqq.), ad Sophoclem referre. Antiquum ἐκκύκλημα clare etiam cognoscitur vv. 901/2:

— turba famularis, fores
templi relaxa, festa patefiat domus;

quae coniectura cum eo convenit, quod Sophoclem cenam potissimum horrendam voluisse repraesentare concluderamus. Praeterea hoc quoque Senecam a Sophocle mutuatum esse puto, quod maximum filiorum, Tantalum, adolescentulum finxit, quocum altercaretur pater. Hac arte Sophocles fabulae actionem variare conatus est, cum filium audacem credulum sperantem, patrem anxium providentem fingeret, simodo Accius eum secutus est; cf. frg. IXa, de quo Cicero: „Quae ille a Iove ortus suis praecipit filiis. Nostis cetera, nonne?:

Id quod multi invident multique expetant inscitias

Postulare, nisi laborem summa cum cura eferas.“ —

In antiqua fabula filii Thyestae sunt infantes, cf. Aesch. Ag. 1096: *κλαόμενα τὰδε βρέφη*. — Iam quibus fere temporibus fabulae doctae sint, quae ratio inter ambas intercedat, eruere quomodo-cunque conemur. Euripides fabulam, quae est de Solis regressu, pristino loco retinuit, licet eam ad rationis leges accommodaverit, Sophocles egregio illo transponendi artificio fabulam novavit: itaque forma Euripidea mihi prior esse videtur, praesertim cum tales miraculorum interpretationes praecipue prima suae poesis aetate coluerit. Iam vero ex nota illa Acharnensium scaena (393 sqq.), in qua Dicaeopolis ab Euripide pannos quam maxime laceratos sordidosque mutuatur, novum ad definiendum fabulae Euripideae tempus argumentum sumi posse mihi videtur. Quamvis enim ex antiqua fabula Dicaeopolis ibi petat pannos (v. 415: *δός μοι ῥάκιόν τι τοῦ παλαιῦ δράματος*), tamen antiquissimas propterea noluerim hoc loco afferri putare, quia Aristophanem eas tantum, quas ex ipsa scaena noverit, citare consentaneum est, praesertim cum non verba, sed ipsum habitum aspectumque personarum rideat. Si autem Aristophanem non multo ante a. 450 natum fuisse homines docti recte coniecerunt, vix ante a. 440 eum spectaculis publicis interfuisse iure statuemus; (pueris hoc licuisse sequitur ex Ar. Nubb. 539.) Puerum autem vividi ingenii ex ea aetate talia spectacula memoria tenere non est mirandum. Itaque fere post a. 440 Thyestam doctam esse statuendum est. Accedit quod illud artificium, supplices in ara sedentes inducendi, quantum videmus, ab anno ca. 430 demum Euripides saepius adhibuit, ita ut Thyestes quoque, in qua illud occurrisse suspicamur, illi tempori proxima

sit collocanda. Cum quo tempore hoc quoque optime convenit, quod apud Euripidem culpa dirorum scelerum parum pie in Apollinem refertur: cf Enn. frg. I:

Set me Apollo ipsus delectat [lactat], ductat Delficus.

Constat autem saepius Euripidem castigare Delphici oraculi perfidiam, quia in bello Peloponnesiaco a Lacedaemoniorum partibus stabat. His omnibus argumentis comprehensis non erraturos nos confido, si Thyestam Euripideam sub initio belli Peloponnesiaci doctam esse statuemus. — Ad Sophocleae fabulae tempus definiendum haud scio an illud praebet ansam, quod Tantalum, Thyestae filium (sive aliud ei nomen erat, fortasse Aglai, secundum schol. Eur. Or. 812), adolescentulum, non puerum, induxit, quem usum certa quadam aetate (circa annum 420) viguisse infra (p. 288) demonstrabo. — Hactenus progressi conatus sum in harum tragoediarum tenebris; de pueris, quorum causa haec omnia molitus sum, hoc addendum est: tres (ut videtur secundum antiquam memoriam), quorum maximus apud Sophoclem iam adolescentulus fuerit, in scaenam prodiisse, patrem ex exsilio redeuntem comitantes; Euripideos cum patre ad aram consedissee. Nominibus, quae affert scholiasta Euripideus, pueri ex usu tragoediae sine dubio caruerunt. Ne verba quidem eos fecisse arbitror (praeter adolescentulum apud Soph.), quia eorum condicio non erat talis, ut tantum Euripidem (qui solus id omnino ausus esse videtur) iis tribuisse credamus. Prorsus enim sunt periculi necopinantes.

Simillimam atque in Atreo materiam Sophocles tractavisse videtur in **Tereo**, cuius fabulae conexum mirabili ingenio Welckerus restituere conatus est, suspicatus ille et Accium et Ovidium Sophoclis vestigia legisse. Imprimis ille constituit, (quod ab omnibus probari videtur), Sophoclem fabulae actionis tempus posuisse post Terei taetrum facinus, post Terei Philomelaeque adventum. Itaque argumentum fabulae fuisse hoc: Procnam, cum missa a sorore tela cognovisset eam captam et absconditam in eadem domo morari, eam liberavisse, deinde ambas foedum illud supplicium de Tereo sumpsisse, omnes tres in aves esse commutatos. Hoc quoque Ovidianum (*Met.* VI, 587sq.):

Tempus erat, quo sacra solent trieterica Bacchi
Sithoniae celebrare nurus etc.

ad Sophoclem esse referendum Welckerus perspexit (cf. Acc. Ter. frg. IV). — Iam quid nos de ipsa tragoediae actione ex Ovidio etiamnunc cognoscere possimus, videamus. Quoniam constat Ovidium ipsum actionis tempus a Sophocle accepisse, etiam ea, quae deinde narrat de sorore liberanda, de taetro consilio capiendo, convenire fere cum Sophoclis fabula putandum est. Adde quod eas res Ovidius ita depingit, ut sane scaenae speciem legentibus excitet. Ad unum Sophoclem autem omnes posteriores de hac re narrationes redeunt,¹⁾ neque id spectavit Ovidius, ut nova fingeret, sed ut argumenta accepta quam elegantissime narraret. Iam hoc patet, Sophoclem matrem in concipiendo consilio (mactandi ipsius filiolum Ityn) titubantem, dubie haerentem finxisse; namque hominem inducere voluit, non bestiam; cf. Ov. Met. VI, 624 sqq.:

Ut tamen accessit natus matrique salutem
attulit et parvis adduxit colla lacertis
mixtaque blanditiis puerilibus oscula iunxit,
mota quidem est genetrix infractaque constitit ira,
invitique oculi lacrimis maduere coactis.

Chorum, fortasse ex Bacchantibus constantem, conspirasse cum Procna necesse est; aliter enim illa contra regem non potuit palam dolos uectere. Cui obstrepere videtur frg. Acc. IX, quod chori esse inde apparet, quod is qui loquitur de suo loco decedere nolle aut non posse videtur; en aspice verba:

Set nisi clamaris regem, puerum auferre ab regina occupo.

Hoc autem si chorus dicit, cum Procna puerum arripit, ut eum interficiat, putanda est coram choro et aliquo actore (fortasse servo), cui chorus deinde illa verba (*Set nisi* etc.) dicat, consilium suum verbis et factis temere patefecisse. Hoc per se ipsum non probabile est; minime vero Ribbeckio velim astipulari, cum matrem ferali furore puerum arripuisse (in ipsa scaena) suspicetur; hoc enim Sophocle non dignum. Immo etiam hac in re Ovidium sequentes Sophoclem deprehendemus.

¹⁾ cf. schol. Ar. av. 281: ὁ Σοφοκλῆς πρῶτον τὸν Τηρέα ἐποίησεν, εἶτα Φιλοκλῆς.

Itaque sic scaena cogitanda est: Coram choro in publico furit Procna atque incertum aliquid cum sorore molitur; tum vero, simulatque prodiit Itys, eius cum coniuge similitudine cognita, ferale nascitur in illius mente consilium, quod tamen, ne arceatur, non nisi tecte significat; cf. Ov. l. c. 619 sqq.:

peragit dum talia Progne,
ad matrem veniebat Itys. Quid possit, ab illo
admonita est: oculisque tuens immitibus: 'a quam
es similis patri' dixit; nec plura locuta
triste parat facinus tacitaque exaestuat ira.

Puer, si Ovidium sequimur, fere quinque annos natus cogitandus est (Ov. 438/9); tamen puerulum eius aetatis revera in scaena egisse non putabimus ex ratione poetarum satis perspicua, de qua infra disputabo (p. 279 sqq.). Immo puer intellegendus est, qualis forte Eurysaces in Aiace fuit. Verba eum in scaena non fecisse statuo eadem de causa, qua supra Thyestae liberos mutos fuisse conclusimus, praeterquam quod omnino, quantum videmus, Sophocles pueros tacere iussit. Contra hoc quoque Ovidianum iure scaenae vindicabimus, puerum matrem (porrecta dextera) salutavisse, complexum esse etc., ita ut illa iis ipsis pueri blandimentis commota et perturbata in contrarias cogitationes distraheretur. Iam Procna cum Philomela puerum in domum abducit; (hoc quoque in scaena antiqua necessarium servavit Ovidius, cf. v. 636:

nec mora, traxit Ityn;

sequentia vero:

veluti Gangetica cervae
lactentem fetum per silvas tigris opacas

Ovidianum est ornamentum.) Tunc vero servum (sive servam) ex domo prodiisse arbitror, ut choro (i. e. spectatoribus) diceret suspicari se (sive certo scire), mulieres puero mortem moliri, ita ut ille (chorus) hoc non admitti debere ratus servum iuberet regem arcessere; hoc enim solum loco fragmentum illud Accianum inseri posse mihi videtur (*Set nisi clamaris regem* etc.). At, ut saepe, chori conamina sunt inania; iam cena taetra paratur, qua inscius fruitur Tereus. — Tantum mihi ex reliquiis cognosci posse videtur. Iam si, quo fere tempore Tereus tra-

goedia orta sit, indicia quaerimus, primum, si Thracium fabulae colorem respicimus, monendum est Atheniensium animos anno circiter 436, sc. quo Amphipolim condebant, ad Thraciam maxime conversos fuisse. Commercio enim cum illis locis orto gentes illas septentrionales earumque mores apud Athenienses non solum innotuisse, sed etiam magis respectas esse consentaneum est. Itaque haud scio an Sophocles quoque, ut Tereum scriberet, illis rebus commotus sit, praesertim cum ipse primus eam materiam tractaverit.¹⁾ Ergo paullo post a. 436 Tereum doctam esse iure statuemus. Accedit alterum argumentum. Respice quaeso, quanta inter hanc Procnam et Medeam Euripideam intercedat similitudo. Neque enim solum utraque suum filium, ut coniugis iniurias ulciscatur, interficit, sed utrobique mulier queritur crudelem suam sortem, quae cum saevis incultisque viris cogatur vitam degere ex patria in aliena loca abrepta. Cf. Soph. fr. 524 (ex Tereo):

*νῦν δ' οὐδέν εἰμι χωρίς· ἀλλὰ πολλάκις
ἔβλεψα ταύτη τὴν γυναικειαν φύσιν,
ὡς οὐδέν ἐσμεν. αἱ νέαι μὲν ἐν πατρὸς
ἠδίστον, οἴμαι, ζῶμεν ἀνθρώπων βίον·
τερπνῶς γὰρ αἰεὶ παῖδας ἀνοία τρέφει.
ὅταν δ' ἐς ἡβὴν ἐξικώμεθ' ἔμφορες,
ὠθούμεθ' ἔξω καὶ διεμπολώμεθα
θεῶν πατρῶων τῶν τε φυσάντων ἄπο,
αἱ μὲν ξένους πρὸς ἄνδρας, αἱ δὲ βαρβάρους,
αἱ δ' εἰς ἀληθῆ δώμαθ', αἱ δ' ἐπίροθα.
καὶ ταῦτ', ἐπειδὴν εὐφρόνη ζεύξη μία,
χρεῶν ἐπαιεῖν καὶ δοκεῖν καλῶς ἔχειν.*

Nonne Euripideam nobis videmur audire mulierem? Cum his conferas praecipue, quae Medea loquitur apud Eur. a. v. 230. — Contra aperte argumentum Euripideae Thyestae in hac fabula tractatum est; ambo autem argumenta, hic arcte conexa, in tae-
trio-riorem partem aucta sunt, ita ut ego dubitare vix audeam, quin illa sint priora, haec fabula posterior. Ante Herculem

¹⁾ cf. not. p. 252. De Thracia Sophoclei Terei indole, cum primitus fuerit Megarensis, cf. Hiller de Gaertringen, de Graecor. fab. ad Thrac. pertin. Berol. 1886, p. 35 sqq.

Euripideam Tereum doctam esse Wilamowitzius docuit (Herc. II², ad v. 1022), ita ut satis angusto temporis spatio — inter Medeam aut Thyestam et Herculem — incluserimus Tereum.

Liberos ab altero parente trucidatos Sophocles tertio in **Tyrone altera** tractavisse videtur. Harum enim fabularum, quae adhuc discerni non iam posse videbantur, alteri subfuisse Tyronis cum filiis ex Neptuno natis, Pelia et Neleo, recognitionem atque supplicium de noverca sumptum, alteri prorsus aliam fabulae formam, sc. Tyronem ipsius filiolos, quod oraculum accepisset, eos patrem suum occisuros, sua manu trucidasse, Engelmannus ostendit.¹⁾ Itaque pueros illos in scaena apparuisse verisimile est.

Pueros prodiisse in Sophoclea **Laocoonte** probabile est, quoniam Laocoontis filiorum (qui quidem in antiqua memoria ubique pueri sunt) interitum argumentum tragoediae fuisse demonstravit Robertus.²⁾ Cognovit ille duos, non patrem, occisos esse a Porce et Chariboea, ex Calydnis insulis veherentibus, qui homines postea viderentur angues facti.³⁾ Scaena acta videtur ante templum Apollinis Thymbraei; eius enim sacerdos primitus Laocoon fuit. Itaque duos pueros prodiisse putandum est, nisi forte Sophocles, id quod saepius fecit, illos pueros aetate paullo maiores finxit, ita ut non a veris pueris, sed ab adultis actoribus eorum partes susciperentur. Sed res non potest diiudicari.

In Sophoclis **Captivis** (*Alχμαλωτίδες*) Astyanactis mortem expressam fuisse recte vidit Welckerus. Quamvis autem multa frustula exstant, tamen de progressu fabulae pauca apparent. Scite nuper M. Mayerus⁴⁾ de Sophocleae Captivarum argumento disputavit, Accianae fabulae fragmenta et hypothesim (Serv. ad Aen. III, 489) circumspicere adhibens. Itaque tantum scimus: duces Achivorum Calchante, ut videtur, suadente (frg. 39) Astyanactem interimendum constituisse; puerum vero a matre absconditum ab Ulixee (Procl.) repertum morte multatum esse.

¹⁾ Arch. Jahrb. 1890, p. 171.

²⁾ Bild und Lied, p. 192 sqq.

³⁾ Concluserit hoc Robertus potissimum ex schol. Lycophr. 347.

⁴⁾ M. Mayer, de Euripidis mythopoeia capita duo; dissert. inaug. Berol. 1883, p. 52 sq.

Iam Mayerus cognovit illum Sophocleum Astyanactem paullo maiorem natu fuisse, qualem fere Brygus in nobili illo opere finxit.¹⁾ Namque ex frg. 38:

εἰ μικρὸς ὢν τὰ φαῦλα νικήσας ἔχω

apparere videtur eum locutum esse de factis suis fortibus; itaque puerum talem, qualem cogitamus Euripideum Astyanactem, omnino illum non existimabimus. Immo Sophocles de antiqua epica memoria, secundum quam Astyanax infans fuit²⁾, recessisse videtur, cum puerum talem induceret; sicut omnino videmus eum pro pueris saepius adolescentulos substituere. Revera igitur pueri in hac fabula fuerunt partes nullae, sed susceptae sunt potius Astyanactis partes ab uno ex tribus legitimis histrionibus, sicut Menoecum in Eur. Phoenissis et Hyllum in Soph. Trachiniis ab histrionibus repraesentari videmus. Menoecus, cum non pugnae particeps sit, certe impubes cogitatur, quocum concinit etiam ratio, qua de eo loquuntur, cf. v. 947: οὗτος δὲ πῶλος. Hyllus autem vulgo sane puer cogitatur; cf. hypoth. ad Trach.: *Ἡρακλῆς δὲ ἐν-τειλάμενος Ὕλλῳ, . . ., τὴν Ἰόλην ἀνδρωθέντα γῆμαι.* Non secus loquitur Ovidius Epist. IX, 44: *puer Hyllus.* Tamen in tragoedia est adulescens, siquidem ab histrione legitimo repraesentatur (cf. etiam v. 60: *πάρεστι χρῆσθαι τᾶνδρῶν*). Quod Astyanax apud Sophoclem se ipsum *μικρὸν* vocat, in hoc non offendendum est: eodem iure Menoecus Euripideus *πῶλος* dicitur. Facile autem cogitari potest eos histriones, qui minore statura erant, tales (ut etiam feminarum) partes suscepisse; fortasse etiam externo apparatu (calceorum) figura diminuebatur. Plura de hoc pueros, qui propiores sunt adolescentiae, inducendi more, infra (p. 288) disputabo. Astyanax igitur Sophocleus, is enim nobis erat propositus, viriliter se gessit, raptores et inda-

¹⁾ v. Heydemann, Iliupersis auf einer Trinkschale des Brygos, Berl. 1866, T. I = Wien. Vorl.-Bl. Ser. VIII, T. IV.

²⁾ cf. Il. parv. frg. 18, 3/4:

*παῖδα δ' ἔλων ἐκ κόλπου ἐνπλοκάμοιο τιθήνης
ῥῦψε ποδὸς τεταγῶν ἀπὸ πύργου κτλ.*

Itaque errat Mayerus, cum dicat secundum epicam memoriam Astyanactem aetate maiorem fuisse.

gatores suos vehementer laesit, turbavit, in scaena ipsa nimirum se verum patris filium professus postremum forti animo morti obviam ivit.

Puerum eiusdem fere aetatis, sc. paene iam adolescentem, merito Troilum Sophocleum intellegemus, quippe quem poeta in cognomine fabula ut amatum ab Achille induxerit, quales pueros aetate paullo proveciores fuisse constat. At impubes omnino in vulgari memoria cogitatur, cf. testimonia, quae Welckerus conguessit, Gr. Trag. I, 134 sq. Idem ille primus eam fabulam, qua Achilles Troili amator fuisse narratur (quae quidem primo apud Lycophronem 307—313 occurrit), ad Sophoclem referre conatus est. O. Iahnus, qui omnino docte de hac re disputavit,¹⁾ aliud eius fabulae testimonium demonstravit in vasculo quodam Apulo recentioris aetatis, in quo Troilus nudus cum equo ad puteum cernitur; a tergo Achilles armatus, cui Minerva viam monstrat, caute appropinquat eum, ut videtur, oppressurus. Columba, quae taeniam gerens ad Troilum advolans conspicitur, nec non gracilis venustusque habitus, quem consulto artifex Troilo tribuisse videtur, rem aliquam amatoriam subesse fidem faciunt. — De tragoediae argumento autem hoc in schol. T II. Q 257 traditur: *ἐντεῦθεν Σοφοκλῆς ἐν Τρωίῳ φησὶν αὐτὸν ὄχενθῆναι ὑπὸ Ἀχιλλέως ἵππους γυμνάζοντα παρὰ τὸ Θυμβραλον καὶ ἀποθανεῖν*. Quibus verbis, si traditam lectionem servamus,²⁾ quamvis obscaene hoc indicari videtur, Achillem Troilum in ipso amplexu interfecisse. Et cum hoc scholio et cum vasculi illius pictura mirum in modum concinit id quod Servius ad Aen. I, 477 affert: *veritas quidem hoc habet, Troili amore Achillem ductum palumbes ei, quibus ille delectabatur, obiecisse, quas cum vellet tenere, captus ab Achille in eius amplexibus periit*. Talia Sophoclem finxisse facile credemus, simodo totam eius naturam iis voluptatibus minime repugnantem respexerimus; moneo de nota illa narratiuncula, quam de Sophocle et puero ministrante Io Chius tradidit (Athen. XIII, 604 sq.), moneo, quod ipse, quantopere iis rebus delecta-

¹⁾ Telephos und Troilos und kein Ende, ein Brief an Herrn Prof. F. G. Welcker zum 16. Oct. 1859, p. 11, T. III.

²⁾ Welckerus haud probabiliter coniecit *λογγευθῆναι* pro *ὄχενθῆναι*. Nam requiritur novum Sophoclis inventum.

retur, fabula satyrica, quae *Ἀχιλλέως ἐρασταί* inscribitur, patefecit. Qua in re longe distat ab Euripide, homine severo, quem scimus totam Chrysippum ad condemnandum puerorum amorem conscripsisse. Quae cum ita sint, ego illud Ovidii testimonium, quod ad Achillis amatores Nauckius rettulit, Troilo vindicandum puto, praesertim cum haec sit illius loci vis, etiam tragoediam, quamvis severae naturae sit, descendisse ad obscaenos iocos; de fabula satyrica, cuius vis in illis iocis posita est, talia monere ineptum est. Ecce locus Ovidianus (Trist. II, 409—412):

Est et in obscaenos deflexa tragoedia risus
multaque praeteriti verba pudoris habet,
nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
infregisse suis fortia facta modis.

Troilum in fabula fortiter se gessisse, ab Achille interfectum esse,¹⁾ docent haec verba paedagogi (frg. 562):

τὸν ἀνδρόπαιδα δεσπότην²⁾ ἀπώλεσα.

Fabulae structuram ut ex his exilibus reliquis restituamus, vix continget. Hoc addendum, quod vel per se patet, Troili personam a legitimo histrione gestam esse.

Iam restant Sophoclis fabulae quattuor, quae laetiolem indolem prae se tulisse videntur, siquidem tres, Achillis amatores, Dionysiscus, Heracleiscus satyricae fuisse feruntur; sed Polyidus quoque sive Vates (*Μάντρεις*) laetam naturam habuisse, fortasse satyricae fabulae locum tenuisse videtur.

De Achillis amatoribus, in qua Achilles adolescentulus primas partes egisse videtur, ita ut revera puerum non habeamus, supra iam dixi.

In **Dionysisco** fabula satyrica (cuius titulus antea perperam *Διονυσιακός* legebatur) de Dionyso sive Libero infante actum esse nuper ostendit Crusius³⁾ ex fragmento, cui titulus fabulae ascriptus est, hoc:

¹⁾ Conferenda est pictura Pompeiana, qua Troilus puer equo vehens armatus representatus est, quem Achilles a tergo opprimit, laeva eius capillos tenens, dextera gladium stringens. Quam imaginem Heydemannus falso ut Herculem cum Amazone interpretatus est (Arch. Zeit. 1871, p. 65). Recte Helbigius Bull. dell' Inst. 1868, p. 37 et Camp. Wandgem. p. 460 sq.

²⁾ ci. Blomfield pro trad. *δεσπότης*.

³⁾ Mus. Rhen. vol. XLVIII, p. 152.

ὅταν γὰρ αὐτῷ προσφέρω βρωῶσιν διδούς,
 τὴν ῥινα μ' εὐθύς ψηλαφᾷ κἄνω φέρει
 τὴν χεῖρα πρὸς φαλακρὸν ἠδὲ διαγελῶν,

quae verba iure Crusius putat esse Sileni, Liberum nutrientis; sunt autem talia, ut non nisi ad infantem, qui ulnis teneatur, possint referri, ita ut non verum infantem in scaenam inductum esse existimem. Si mira efficiens Liber fictus erat, ut suspicatur Crusius, ea certe narrabantur tantum, quod eodem modo in **Heracleis** factum esse puto; quamvis enim nihil de argumento sciamus, tamen fabulam illam de anguibus ab infante interfectis expressam fuisse veri est simillimum.

In **Polyido** sive **Vatibus** Sophocles, ut Euripides, notam illam de Polyido, qui Glaucum puerum reperit et in vitam resuscitat, narrationem tractavit. Certiora de structura fabulae cognoscere non possumus. Puerum parvulum intellegendum esse cum ex vulgari memoria, qua ille ludens describitur (Apoll.: *μῦν διώκων*: Hygin.: *dum ludit pila*) tum ex antiqua quadam Sotadis pictura¹⁾ sequitur. Nisi titulo deludimur, chorus constitit ex vatibus (nempe Cretensibus, qui convocati consilii erant inopes), unde efficitur fabulam non fuisse satyricam.

Venimus ad Euripidearum fabularum reliquias. Quae iam a multis viris doctis ita collectae dispositae explicatae sunt, ut vix ulla fabula maneat obscura. Quin etiam tempora, quibus doctae sunt, in multis satis certe constituta sunt, ceterae ita quidem fixae, ut uni ex magnis tribus illis aetatibus, quas discernimus in poesi Euripidea, ascribantur. Itaque nobis maxima ex parte nihil relictum est, nisi ut, num fuerint puerorum partes in singulis fabulis qualesque fuerint, quaeramus. Ne autem opus sit testimonia, ex quibus tempora atque argumentorum summae cognoscuntur, singillatim afferre, delego te ad Wilamowitzii *Analecta Euripidea* et eius *Herculem*.

Primae aetatis primum eas fabulas afferam, quarum tempora nota sunt.

In **Telepho**, quam una cum *Alcestide* anno 438 scaenae

¹⁾ cf. Zingerle, *Arch.-epigr. Mitteil. aus Oesterr.* XVII, p. 119.

commissam esse ex illius hypothesi scimus, Orestem parvulum in scaena fuisse primus O. Iahnus¹⁾ ex simulacris patefecit. Novum nuper testimonium Pergami effossum est, dico arae illius ingentis ornamenta, quibus tota Telephi fabula efficta erat. Tragoediam Atticam illic artifices secutos esse, et quidem Euripidis Telephum et Augam, Robertus,²⁾ qui omnia ea fragmenta disposuit atque interpretatus est, ostendit. Itaque fabulam notam illam, quam de Telepho Hyginus (fab. Cl) narrat, tragoediae quoque supposuit Euripides. Videmus autem in monumentis illis Telephum, vulnere aegrotantem, cum parvulo Oreste rapti ad aram sedentem, adstantes duces Graecorum, imprimis Agamemnonem iratum cum Clytaemestra, quae, secundum Hyginum, videtur cum Telepho conspirasse. Scaena illa (quae totius fabulae quasi caput videtur fuisse), ut Euripidea nota erat iam ex Aristophanis Acharnensibus et Thesmophoriazusiis, ubi ridiculae imitationes fiunt. Utrobique autem aperte Euripides spectatur, namque in Acharnensibus omnino Dicaeopolis Telephi Euripidei agit partes, Thesmophoriazusiis autem ad unum Euripidem vellicandum totam esse compositam non est quod moneam. Ergo absurdum est credere illam scaenam (rapti Orestis) non fuisse in Telepho Euripidea, quod Weckleinus³⁾ ex schol. Ar. Ach. 332 concludere voluit; legimus ibi haec: τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίξει τῆς τραγωδίας, ἐπεὶ καὶ ὁ Τηλέφος κατὰ τὸν τραγωδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχη παρὰ τοῖς Ἑλλήσι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβῶν. παραπλήσιον δέ τι καὶ ἐν ταῖς Θεσμοφοριαζούσαις ἐποίησεν. Utut autem huius loci difficultas (de quo iam supra (p. 241) egi) expedienda est, eo id non de medio tollitur, quod Aristophanes ipse, cum Telephi pannos ab Euripide peti iubeat, haud ambigue indicat. Quomodo autem ex frg. 727a:

ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἐχθιστον τέκος

raptum Orestis in fabula non fuisse concludi possit, non video. Quid? qui odit infantem, nonne is potissimum ad rapiendum

¹⁾ Telephos u. Troilos, Kiel 1841.

²⁾ Jahrbuch des Kaiserl. Deutsch. Arch. Inst. II (1887), p. 244 sqq.

³⁾ Sitzungsber. der philos.-hist. Classe der k. bayr. Akademie der Wissensch., München 1878, p. 202 sqq.

erit inclinatus? Itaque Telephum aliquo loco fabulae, fortasse cum maxime mortem infanti minaretur, ea verba exclamasse sane probabile est. Accedit, quod in cistis Etruscis,¹⁾ quibus eadem scaena repraesentatur, Telephus pannosus fictus est: quod est proprium Euripideae fabulae. Orestem parvulum simulacro repraesentatum esse ex ipsis parodiis Aristophaneis supra (p. 236) collegimus.

Praeterea pueri demonstrari possunt in Theseo et Hippolyto priore, quas ambas fabulas cum Aegeo trilogiam effecisse certa est Roberti coniectura.²⁾ Sequitur ergo fabulas ante a. 428 scaenae commissas esse, quo Hippolytum alteram actam esse constat; quin etiam ante annum 431 eam trilogiam doctam esse, demonstravit Wilamowitzius³⁾ ex scaena ea Medae, in qua Aegeus prodit, quam ille ad Aegeum Euripideam rettulit. Neque vero multo ante eum annum trilogiam scaenae commissam esse et propter materiam propositam (scelestas mulierum cupiditates), quam fere initio alterius aetatis Euripides maxime tractavit, et propterea puto Robertum secutus, quod nimis antiquam fabulam Euripidem transformasse veri est dissimile. Itaque inter annos 438—431 iure illas fabulas ponemus.

In *Theseo* puerorum chorum in scaenam inductum esse iam pridem viri docti intellexerunt, velut Welckerus chorum legitimum et hunc puerorum chorum eundem fuisse censuit, quae sententia adhuc stare videtur. Aduotatur enim a scholiasta Veneti ad Aristophanis *Vesparum* locum illum, quo pueri prae-lucentes cum patribus altercantur (312), verba haec: *τί με δῆτ' ὦ μελέα μᾶτερ, ἔτικτες, ἵνα μοι πράγματα βόσκειν παρέχῃς*; sumpta esse ex Euripidis *Theseo*: *ἔχει γὰρ ταῦτα λέγουσιν οἱ ταπτόμενοι παῖδες εἰς βορὰν τῷ Μινωταύρῳ*. His verbis pueros in scaena fuisse canentes efficitur, nec quicquam impedit, quominus Euripidem septenos pueros puellasque (ex fabula *Phalerica*, cf. etiam *Eur. Herc.* 1325/26) induxisse cum Welckero existimemus, ut spectantibus sortem crudelissimam

¹⁾ I relievi delle urne etrusche, vol. I (ed. Brunn), t. XXVI sqq.

²⁾ Roberti coniecturam Wilamowitzius pronuntiavit *Herm.* XV, 481 sqq.

³⁾ *Herm.* XV, 481 sqq.

parvulorum atque clamores desperantium ante oculos auresque poneret: nam vere hoc Euripideum. Illud ambigitur, utrum pueri illi puellaeque legitimum chorum an secundarium aliquem (sc. *παραχορήγημα*) effecerint. At hoc omnino cum obstreperet naturae puerorum, tum ne licuit quidem per institutionem ludorum Dionysiacorum; nam in tragicis tetralogiis chori, qui inter se certabant, ex viris constabant, nempe ut paribus contra pares certaretur. Sed fac legitimos choreutas puerorum partes egisse (quod per se non est verisimile): adest fragmentum, quo, ut Robertus me docuit, rem non ita esse demonstratur. Nam ex nobili illa pastoris narratione (frg. 382), qua Thesei nomen, quod fortasse in navis prora scriptum viderat, litterarum rudis reddit, sequitur Thesei, sc. cum pueris, adventum in scaena nuntiatum esse; nuntios autem in prologo, ante chori parodum, prodire non erat usitatum; itaque huic nuntio chorum legitimum adstittisse, qui fortasse ex Cretensibus compositus erat, non pueros, apparet. — Veros pueros illum chorum secundarium formasse, quanquam ex vulgari memoria propiores adolescentiae putandi sunt,¹⁾ Aristophanis parodia efficitur. At Euripides maiorem vim in puerorum quam in adolescentium specie et clamoribus inesse scite perspexit; fusius de hac quaestione infra (p. 274 sqq.) disputabitur. Itaque sumamus pueros pro Euripidis consuetudine extremo periculo, cum essent ad Minotaurum abducendi, voces illas, quas scholiasta tradidit, coniunctos cecinisse, antea tacuisse. Evidenter enim Leo²⁾ Iahnii (Arch. Beitr. p. 255) coniecturam, pueros singulos de sua sorte conquestos esse arbitrati, refutavit, cum versum illum:

ἀνόνητον ἄγαλμ' ὦ πάτερ οἴκοισι τεκῶν,

quem Hippolyti esse schol. Ar. tradidit, non ex Theseo, sed ex Hippolyto velato sumptum esse evinceret.

In Hippolyto priore, quem vocant velatum, pueros in scaena fuisse ex duobus sarcophagis probavit A. Kalkmannus.³⁾ Inveniuntur enim in magno eorum sarcophagorum numero, quibus

¹⁾ cf. O. Jahn, Arch. Beitr. p. 251 et Plut. Thes. XV sq.

²⁾ Seneca I, p. 180 sqq.

³⁾ De Hippolytis Euripideis quaestiones novae, Bonnæ 1882, p. 38 sqq.

Hippolyti fabula repraesentatur, duo, in quibus res quaedam fictae sunt, quae alibi nusquam occurrunt. Ambo autem ad idem exemplar redeunt. Atque videmus in extrema dextra imagine in sella virum barbatus sedentem, qui dextra ad mentum admota terrorem exprimere videtur de iis rebus, quas iuvenis, qui ante eum stat, ei narrat. Hac scaena repraesentari Theseum de Hippolyti morte nuntium accipientem recte Kalkmannus constituit. At a laeva iuxta hanc scaenam senex barbatus conspicitur se ad feminam dextrorsum convertens, cum qua acriter loquens ut illa in dextram progreditur. Illa portat sinistra puerum, qui dextram ad feminae mentum porrigit, sinistra fructum tenet (in altero quidem sarcophago). Quas duas figuras ita Kalkmannus interpretatur, ut servam repraesentari dicat, quae ad Theseum festinans nuntium de Phaedrae morte allatura sit. Senem esse paedagogum, domini sui innocentiam strenue contra servam defendentem. Quam coniecturam, quamvis praeterea probabilis videatur, propterea accipere non possum, quia aliam fabulae actionis imaginem mihi conformavi. Cum enim in hoc viri docti consentiant, in priore fabula post Hippolyti demum mortem Phaedram manus sibi intulisse, ego eam non ante culpam suam detectam mortem decrevisse conicio:¹⁾ ita enim eius mores depictos fuisse scimus, ut non honestati, sed uni necessitati cederet: cf. frg. 433:

*ἔγωγε φημι καὶ νόμον γε μὴ σέβειν
ἐν τοῖσι δεινοῖς τῶν ἀναγκαίων πλέον.*

Eandem fabulae formam respicere videtur schol. Hom. λ 321, cui Asclepiadis nomen subscriptum est: *τὴν δὲ Φαίδραν φανεροῦς γενομένης τῆς διαβολῆς ἀπίγξασθαι* (sc. *ὁμολογοῦσι*),²⁾ quanquam Kalkmannus (l. c. p. 49/50) negat tale quid apud Euripidem occurrisse, cum asseveret priorem Phaedram antea mortuam esse, quam Diana crimen revelaret. Sed haec mera coniectura est, etiam in Velato per Dianam rerum conexum patefactum esse; cavendum autem est, ne opinionibus ex super-

¹⁾ Similiter Weilius indicat, Sept tragédies d'Euripide, p. 4/5.

²⁾ Idem narrant Apoll. bibl. epit. Vat. et Sabbat. 1, 18 sqq., quas Velatum exprimere vel inde patet, quod Phaedram ipsam coram Theseo Hippolytum calumniantem faciunt.

stite fabula sumptis praeoccupati incerta pro certis accipiamus. Ut autem in priore fabula Phaedrae culpa demonstrata est,¹⁾ dubitationem de vero malorum auctore post Phaedrae mortem non iam relictam esse vel inde perspicitur, quod illam de Hippolyti culpa disceptationem poeta certe antea posuerat, ita nempe, ut et Hippolytum (quem in priore quoque fabula cum irato patre congressum esse Leo evicit p. 182) et Phaedram ipsos suas causas agentes induceret. Cum enim hoc per fabulae structuram datum fuerit, Theseum, cum rediret, uxorem vivam privigno stuprum exprobrantem offendere, minime credi potest poetam sophisticum talem scaenam omisisse, qua novercam privignumque acriter contra se disputantes, Theseum iudicem adstantem, fingeret. Atque haud scio an Plutarchi ille locus (de aud. poet. c. 8, p. 28 A.) ita intellegendus sit, ut Phaedram etiam post detectum flagitium Theseo perfidiam exprobrasse putemus: *καὶ ὁ σύσκηνος αὐτοῦ (Sophoclis) πάλιν ὀρᾷ ὅτι τὴν τε Φαίδραν καὶ προσεγκαλοῦσαν τῷ Θησεί πεποίηκεν ὡς διὰ τὰς ἐκείνου παρανομίας ἐρασθεῖσαν τοῦ Ἰππολύτου.* Id certe etiam hoc testimonio confirmatur, illam Phaedram, cum non a se prima sed iam a Theseo matrimonii integritatem turbatam esse diceret itaque culpae fere nulli se obnoxiam putaret, omnino non ad moriendum pronam fuisse. Hoc igitur si certum est, Phaedram post detectam demum culpam mortem sibi con-

¹⁾ Mibi quidem aptissime sic nodus expediri potuisse videtur, ut Theseus eam epistolam, quam Phaedra Hippolyto scripserat, ab eodem moriente acciperet (morientem in scaena apparuisse Leo evicit), quare ille innocentiam suam demonstraret haud ambigue, sive alio modo epistolam Theseus nactus est. Itaque statuendum est, ut in priore fabula per litteras nodus solutus sit, ita in altera eum esse nexum; neque id ita mirum, Euripidem idem argumentum paullo mutatum in utraque fabula adhibuisse, sicut omnino nonnullas ex priore fabula reliquias etiam nunc cognoscimus. Cui coniecturae non obstrepit, quod deum etiam in illa fabula in fine apparuisse putandum est, sicut Wilamowitzius (Hipp. p. 45) Asclepium Hippolytum in vitam resuscitasse coniecit: illud enim Hippolyti a dis honorandi praemium requirebatur. — Eam integram fabulae vim atque indolem plane turbavit Seneca, cum Phaedram ipsa privigni morte adeo perterritam atque commotam fingeret, ut mortem ipsa peteret. Quae enim ratio cernitur in eo, quod Phaedra Hippolyti morte, quam ipsa, ut repulsam acceptam ulcisceretur, molita erat, ad paenitentiam culpaeque confessionem compellitur?

scivisse, id quoque statuendum, postea non amplius de calamitatis auctore disputatum esse, ita ut fundamentum, quo nitebatur Kalkmanni coniectura, deletum sit. Immo ego mortem Phaedrae ne fuse quidem narratam esse, quippe summa fabulae iam peracta, sed breviter tantum exclamationibus indicatam puto. Itaque si, quo loco optime pueri inserendi sint, circumspicimus, ego non aliam video rationem, nisi ut in illa scaena, qua Phaedra languida in lectulo recubans a famulabus circumdata ostenditur, eos a nutrice vel alio actore arcessitos putemus, quorum aspectu miseraque condicione Phaedra ad sanam mentem revocetur. Demonstratum enim est (cf. Kalkmann. p. 27) Phaedrae et nutricis mores in priore fabula fere contrarios atque in altera fuisse, nempe Phaedram adeo omnem pudorem decorumque neglexisse, ut nutrici quam maxime delenienda et ad honestatem reducenda esset. Illa autem putanda est liberos, quippe quos propter Thesei odium ipsos quoque aspernaretur,¹⁾ acerrime reppulisse, ita ut servi eos a matris saevitia tuerentur. [Agnoscis cum Medea similitudinem, cf. Wilam. Hipp. p. 44]. Ita illam sarcophagorum scaenam interpretor; nam servam et paedagogum cum Theseo in dextra parte sedente coniungere non licet, quia in illo sarcophagorum genere, ut Robertus me docuit, figurae fere temere compositae sunt. Illius scaenae vestigium etiam in servata fabula cognoscimus eo loco, quo Phaedra vero humanitatis studio quasi se ipsa de suis erga coniugem et liberos officiis hortatur (419 sqq.). Eadem ratione liberi commemorantur in Senecae Phaedra (434, 631, 869). Iam intellegimus, cur ex altera Hippolyto pueros Euripides removerit, sc. quia Phaedrae moribus ita commutatis supervacanci erant. Duos pueros puto in scaenam prodiisse, quia, etiamsi pro more tragicorum nomina iis non imposuit, poetam ad Acamantem et Demophontem respexisse suspicor. Ceterum plerumque binos pueros inducit Euripides et eundem numerum Ovidius et Seneca exhibent.

In Inone pueros in scaena fuisse colligo ex tota fabulae natura, cuius argumentum nobis servatum est ab Hygino (fab. IV). Namque pueros illos, quorum salus a matribus aemulis in

¹⁾ Hoc Ovidius servavit, Epist. IV, 123 sqq.

summum discrimen vocatur, ipsos ostendere spectatoribus vix omisit Euripides. Sed certiora de eorum partibus erui non possunt. De tempore, quo docta sit haec fabula, idem valet quod de Thyesta ceterisque, quae in scaena illa Acharnensium occurrunt (v. p. 250). Ceterum argumenti natura, diras mulierum cupiditates atque aemulationes dico, ut fabulam prope annum 430 ponamus, suadet.

In **Aeolo** puerum, eumque infantem modo natum, **Macarei** et **Canaces** filium, in scaena apparuisse fabula ipsa probatur, quae nobis ab Ovidio (Epist. XI) et Ps.-Plut. (Parall. min. 38) tradita est. Pro certo enim accipiendum est poetam rem ita instituisse, ut **Aeolus** pater coram ipso infante, qui erat totius fabulae quasi cardo, originem eius ex filia quaereret: vere enim hoc dramaticum; nimirum simulacrum secundum usum sollemnem in scaenam pro vivo infante apportatum est.

Simile est **Melanippae philosophae** argumentum, qua in fabula notum est **Melanippae** filios expositos a pastoribus inventos, ad **Aeolum** avum apportatos matri ipsi cremandos traditos esse: ergo in scaenam erant inducendi, etiamsi, ut infantes, simulacris sunt repraesentati. — Ut autem primae aetati adscribam hanc **Melanippam**, **Robertum** sequens adducor ea re, quod fabulas, quarum caput est de rebus omnibus divinis humanisque meditatio,¹⁾ velut **Bellerophonem**, prima tantum aetate scripsisse poeta videtur.

In **Cretensibus** (*Κρητες*), quam propter materiam tractatam, amorem nefarium dico, eidem aetati adiudicamus, **Minotaurum** parvulum in scaena ostentum fuisse verisimile est. Nam constat omnino scelestum **Pasiphae** cum tauro illo **Neptunio** commercium argumentum tragoediae fuisse. Scaenam tragicam, qua apportatur **Minotaurus** parvulus, in nonnullis cistis Etruscis expressam ostenderunt **O. Iahnus**²⁾ et **G. Koertius**.³⁾ Itaque videtur simulacrum in speciem infantis caput bubulum gerentis formatum in scaenam inductum esse. Quod minime mirandum

¹⁾ cf. frg. 484, ceterum vid. R. Wünsch, Mus. Rhen. XLIX, 91 sqq.

²⁾ Arch. Beitr. p. 240, 9.

³⁾ Histor. u. philol. Aufsätze, Festgabe an E. Curtius, 2. IX. 1884.

est, cum etiam histriones interdum singularibus personis induendis bestias imitati sint.¹⁾

Ex eadem causa, qua Cretenses, etiam Danae et Scyrii primae aetati ascribendae sunt. In utraque fabula infantem (simulacrum), illa Danaae et Iovis, hac Deidamiae et Achilliae, filiolum prolatum esse verisimile est. In Scyriis certe argumentum gratissimum amoris clandestini inter Deidamiam et Achillem intercedentis vix neglexit Euripides. Hunc in modum eum tragoediam suam finxisse Robertus cum aliis ex argumentis tum ex imagine in goryto quodam picta, quam ad Polygnotum refert, probavit.²⁾

Hae fere sunt omnes eae primae aetatis tragoediae, in quibus pueros in scaena apparuisse satis constat. In ceteris huius aetatis tragoediis vix quisquam aliqua cum fide pueros demonstrare poterit, nisi forte in Peliadibus Iasonis frater prodiit, quod ex pariete quodam Pompeiano possit concludi; sed res prorsus incerta.³⁾ Ceterum contra Wilamowitzium Robertum secutus primae aetati etiam Protesilaum ascribo propter vehementem inter coniuges amorem et numerorum proprietatem.

Transeamus ad secundam aetatem. Praeter servatas fabulas duas tantum video, quae praebeant puerorum partes: Alopam et Oedipum. Alopa, quae propter materiam tractatam sumptam ex fabulis Atticis videtur secundae aetati tribuenda, simile argumentum praebet iis, quae iam in Aeolo, Melanippa philosopha, Cretensibus, Danae, Scyriis inveneramus, cui generi postea Augam addemus. Quibus omnibus hoc commune est, quod mulier aliqua corrupta clam parit, infans autem detectus culpam patefacit. Quare probabile videtur, quae est ceteroquin

¹⁾ Poll. (IV, 141) eas personas appellat *ἔκσκενα πρόσωπα*. Affert inter alias *Ἰππην* (coni. Wieseler pro *Εὐίπην*), quae habuerit caput equinum.

²⁾ Arch. Anz. 1889, p. 151.

³⁾ v. Arch. Zeit. 1875, t. 13, de qua imagine egit Robertus p. 134 sqq. Acastum ibi non posse intellegi sequitur ex Mos. Chor. progymn. III, qui apud Euripidem Peliam filii caruisse dicit. Iasonis fratrem, Pro-machum, quem affert Apollod. I, 9, 27, intellegendum esse nunc suspi-catur Robertus.

huius fabulae obscuritas, etiam hunc Alopae filium (ex Neptuno conceptum) in scaenam esse apportatum, nempe simulacro repraesentatum.

Oedipum Wilamowitzius annis 420—410 tribuit. Tamen haud scio an recte Robertus eam post a. 415 poni vetet, ne propius ad Phoenissas (ca. 410) accedat, quippe quae exhibeat prorsus aliam eiusdem fabulae formam. At contra quominus post Phoenissas eam doctam putemus, prohibet materiae genus, quod tunc temporis praeter cetera Euripides adhibuit, id dico, ut homo aliquis obscuro loco natus per fabulae progressum parentes agnoscat. Cuius generis est Ion et Phaethon, similis Hyppipyla. Phaethon propter ignem sive fumum, qui in scaena conspicitur,¹⁾ ut Robertus me docuit, secundae aetatis esse videtur; illum enim morem ignem in scaena ostendendi per certum temporis spatium cognoscere possumus: invenitur in Vespis, Supplicibus, Alcmena, Troadibus: quae omnes circa annum 420 doctae sunt; recurrit illud artificium postea in Bacchis. — Tota Oedipi fabula a Roberto ex monumentis probabiliter restituta est.²⁾ Itaque imprimis hoc fuit fabulae proprium, Oedipum, antequam eum Laii et Iocastae esse filium appareret, cognosci ut Laii interfectorem, proptereaque a Laii ministris occaecari. Itaque cum Euripidis Oedipum sarcophago illo, in quo hominem aliquem lumi deiectum a militibus caecari videmus³⁾, expressam esse constet, ne dubitandum quidem est, quin duo illi pueri, qui cum femina aliqua a dextera parte turbati accurrunt, nempe Eteocles et Polynices cum matre Iocasta, fuerint fabulae personae. At considerantibus nobis, quid in fabula finxerit Euripides, nonne hoc ultro se offert, ut non Oedipum solum, sed etiam filios in periculum vocatos esse suspicemur? Laii enim ministri, simulatque regis interfectorem detexerunt, non in eius poena acquiescisse, sed pro sollemni veterum ratione totam eius stirpem delere studuisse cogitandi sunt. Quae coniectura eo firmatur, quod in sarcophago illo servum, ut videtur, cernimus, qui Iocastam

¹⁾ cf. Wilamowitz. Herm. XVIII, p. 396 sqq.

²⁾ 50. Programm zum Winckelmannsfeste, Berl. 1890, p. 76 sqq.

³⁾ I relievi delle urne etrusche, publ. da Gust. Körte, vol. II, t. VII, 1; Robert, l. c. p. 79; Wiener Vorl.-Bl. 1889, t. VIII, 3.

cum filiis periculum veritus retinere conatur. Certiora de puerorum partibus dicere non licet.

Iam *Antigona* Euripidea propius contemplanda est. Suspicetur enim forte quispiam puerum in ea prodiisse, siquidem ex argumento, quod Aristophanes Byzantius Sophocleae *Antigonae* praefixit, scimus apud Euripidem *Antigonam* cum *Haemone* commercium habentem deprensam, deinde ei in matrimonium datam, ex quo coniugio filius *Haemon* (lege *Maeon*) ortus sit. Quomodo ex hoc argumento tragoedia exstructa sit, ex hac exili memoria cognosci non posset, nisi iam *Welckerus* iure *Hygini* fabulam LXXII ad recuperandum Euripideae tragoediae argumentum adhibuisset. Denique *M. Mayerus*¹⁾ omnino recte de tota tragoedia disputavit, primum ille affirmans, tractari non idem quod apud *Sophoclem* argumentum (de vetita sepultura quaeque sequuntur), sed actionem fieri eo tempore, quo iam adultus *Antigonae* et *Haemonis* filius in ludis victor ab avo cognosceretur. Hoc enim narrat *Hyginus*: „*Haemonem*, quamvis sit iussus *Antigonam* interficere, tamen eam servatam sibi iunxisse, quo ex coniugio *Maeon* ortus sit. Quem, cum *Thebas* profectus victoriam in certamine publico reportaverit, a *Creonte* avo ut nepotem esse agnitum, simulque matrem *Antigonam*. Cui quod supplicium *Creo* imposuerit, *Herculem* frustra conatum esse prohibere. *Haemonem* se et *Antigonam* interfecisse.“ Hunc fabulae finem, quo frustra *Hercules* intercessisse dicitur, *Hygini* commentum esse *Mayerus* ostendit (l. c. p. 74/75); immo *Herculem* a *Creonte* impetrasse, ut *Antigona* servata *Haemoni* in matrimonium daretur. Iam cognovit *Mayerus* frg. 168:

ὄνόματι μὲμπτόν τὸ νόθον, ἢ φύσις δ' ἴση

de *Maeone* ipso intellegendum esse, quia, cum ex humero dextro puer ut *Creonteus* posset cognosci, tamen cum mater ignoraretur, primum spurius habendus erat. Prodiit igitur in illa fabula puer, qui certamine publico vicit, ita ut fere iam adultus videatur fuisse. Si autem vascula ea, quae Euripideam tragoediam exprimere videntur, aspiciamus, eum, ut Graeca voce utar, *ἔφηβον* cogitandum esse cernimus. Praeterea libenter *Mayero* assentior statuenti puerum causam suam in scaena fortiter

¹⁾ De Euripidis mythopoeia, Berol. 1883, p. 73 sqq.

atrenueque egisse, ut Astyanactem Sophocleum, Menoeceum Euripideum, alios, qui omnes eiusdem aetatis, omnes ab histrionibus repraesentati sunt (cf. supra p. 256). Tribuit ei frg. inc. hoc (858):

*ἀλλ' ἦδε μ' ἐξέσωσεν, ἦδε μοι τροφός,
μήτηρ, ἀδελφή, δμῶις, ἄγκυρα, στήγη.*

Sed hoc incertum.

Iam restat ultima Euripideae poesis aetas. Cui praeter eas quas servatas habemus fabulas puerorum partes praebentes assigno has tres: Hypsipylam, Augam, Polyidum.

Hypsipylae, cuius tempus ex schol. Ar. ran. 53 satis certum scimus (411—408), subfuisse argumentum notum illud,¹⁾ quod est de Opheltae morte ludorumque Nemeorum institutione, vel ex titulo et fragmentis elucet. Qualis fuerit progressus fabulae, ex fragmentis non iam certo cognosci potest. Hoc constat, locum actionis fuisse ante Iovis templum ad Nemeam situm (frg. 764). Puer mortuus in scaenam apportatus est (quod vel per se consentaneum est et ex vasculo quodam²⁾ patet). Parentes queruntur. Hypsipyla in discrimen vocata ab Amphiarao defenditur, qui etiam matrem Eurydicam consolatur.³⁾ Liberatur Hypsipyla a filiis suis apparentibus,⁴⁾ quos peperit ex Iasone. Adrastus ludos funebres instituit. — Prologum necessario ipsa Hypsipyla dixit; verba enim fragmenti 752 non possunt, quod Welckerus voluit, Dionyso tribui, qui non tertia de se usus esset persona (frg. 752, 3: *πηδῶ*). Non opus est primum versum excidisse putare, praesertim cum schol. Ar. ran. 1211 affirmet: *Ὑψιπύλης ἡ ἀρχή*. Ipsa necesse erat edoceret spectatores de sua persona rerumque statu, quod fecit ex more Euripideo, cum ab avo (Dionyso, Thoantis patre) stirpem suam enumeraret. Puerum Opheltam, alumnum suum, certe primum secum in

¹⁾ cf. schol. Clem. Al. p. 424, 19; Apoll. 3, 6, 4; Hygin. fab. 74.

²⁾ J. Overbeck, die Bildwerke zum theban. und tro. Heldenkreis, III, 3, p. 114, 26 = Wien. Vorl.-Bl. 1889, t. XI, 2.

³⁾ cf. frg. 757, de quo Plut. adnotat, Amphiaraum matrem consolatum esse. Cf. etiam vasculum, quod modo attuli.

⁴⁾ cf. Welcker, Gr. Tr. II, p. 559. Vid. Eur. Hyps. frg. 765 et Anth. Pal. III, 10.

scaenam afferobat, etiamsi, quid ei ad templum cum puero faciendum fuerit, non facile perspicitur. Tamen locus desertus desideratur, quo Septem contra Thebas duces delati fontem quaerant. Fortasse apud Euripidem quoque oraculum ex deo quaerebatur; sicut apud Statium (Theb. V, 638 sqq.) videmus Iovem Lycurgo adversam fortunam praedicere, et secundum Hyginum (fab. LXXIV) Hypsipyla responsum acceperat, ne puerum in terra deponeret, priusquam posset ambulare; quae duae narrationes haud scio an ad idem fabulae primitivae argumentum referendae sint. Puer ille igitur in antiqua fabula sane infans cogitatur, qui ulnis tenetur.¹⁾ Euripidem id quoque in tragoedia sua retinuisse cum vel eo probetur, quod omnino eum in his rebus antiquam memoriam sequi videmus (cf. Orestem, Astynactem parvulos), tum Aristophanis parodiis²⁾ efficitur. Itaque non aliam primae illius scaenae imaginem animo conformabimus, atque ut nutricem puerulum ulnis tenentem, crepitaculo (*κροτάλα*, frg. 769) et carminibus sive blandimentis (frg. 756) delectantem cogitemus. Atque si nobis constare volumus, infantem simulacro repraesentatum esse putandum est, etiamsi fragmento 756 actio eius indicari videtur:

περιβαλ' ὦ τέκνον ὀλένας.

Nam ex threno ea verba sumpta esse putare nolim, quia eiusmodi lamenta, quibus quasi vivus mortuus aliquid agere iubetur, apud tragicos non novi. Itaque haec sunt verba nutricis in prima scaena puero blandientis, cui condicioni apprime etiam numeri (ut videtur glycone) conveniunt (cf. Terent. 2752: *ipse etenim sonus indicat esse hoc lusibus aptum*); praeterea Aristophanem arbitror Hypsipylam ut supra *διὰ τὸ κροταλλίζειν*, sic hic de blandimentis, quae puero dicat, irridere: in eo enim offendit, quod nutricem cum infante quasi *ἐκ τοῦ γυναιχείου* in tragicam scaenam deduxit. Accedit quod ea verba unice quadrant in infantem, qui ulnis tenetur: nempe iubet nutrix infantem brachia collo suo circumdare, ut artius sibi applicetur.

¹⁾ Talis quoque describitur apud Stat. Theb. IV, 741: *ab ubere dependens*.

²⁾ Aristoph. ran. 1311 sqq., unde sumpta sunt frgg. 752, 755, 756, 769.

Puero ambulanti talia dici non possunt. Similiter supra in Troadibus demonstravi verbis Andromachae his:

*πρόσπιπτε τήν τεκούσαν, ἀμφὶ δ' ἄλένας
ἔλισσ' ἔμοις νότοισι κτλ.*

indicari Astyanactem a matre sublatum esse. Tamen ex nutricis verbis minime id mihi necessario colligi videtur, verum puerum in scaena fuisse; immo, simodo tali imagini, nutricis cum infante, depingendae artem suam Euripides impertire voluit, etiam verba nutrici debuit tribuere, quae vitae vigorem referrent. Si autem ob indicatam actionem verum puerum in scaena fuisse putas, non infantem, sed natu maiorem, fere V annorum, cogitare debes, ut omnino muneri illi par fuisse videatur. At hoc absurdum est credere Euripidem histrioni per magnam fabulae partem talis pueri onus imposuisse sustinendum. Immo gestus pueri fingitur, sicut in Iphigenia Aulidensi verbis his (1245):

ἰδοῦ, σιωπῶν λίσσεται σ' ὄδ', ᾧ πάτερ

ficta parvuli Orestis (simulacri) actio indicatur. — Quam mire vero has blanditias arti suae tragicæ adhibuerit poeta, in eo cernimus, quod consulto hunc pueri amorem illi fatali negligentiae opposuit, per quam puer perit. — Postea nuntius, ut opinor, Argivorum prodiit, vel ipse fortasse Adrastus, fontem quaerens; Hypsipylam autem puto primum, num posset salvo suo erga puerum officio ad fontem abire, deliberasse, tandem abiisse cum illo. Huc spectat frg. 753:

δείξω μὲν Ἀργείοισιν Ἀχελῷον ῥόον.

Quae ex nuntii narratione sumpta esse vix credam, quod verba verbatim ex absentis sermone non nisi praecipue insignia (velut in pugnam hortamina) citantur. Chorum puto ex Argivorum militibus constitisse, quia et aliquomodo exercitus Argivorum debebat repraesentari et indigenas aliquos (fortasse Hypsipylae amicas) propterea non probabile est chorum effecisse, quia tunc puerum secum abducendi non erat Hypsipylae causa, siquidem choro potuit puerum tradere custodiendum. Chorum autem illi scaenae adstitisse propterea necesse est, quod in prologo omnino actio nulla fit. Postea puer mortuus in scaenam relatus est; sequebantur ea, quae iam exposui.

In **Polyido** Euripides notam illam fabulam, quam eandem Sophocles (v. p. 259), tractavit. Quorsus poeta tragoediam pro-

duxerit, non iam discernimus; hoc videmus, in puero quaerendo et repperiendo magnam fabulae partem positam fuisse (frg. 636). Deinde regem etiam id a Polyido postulasse, ut puerum resuscitaret, sequi videtur ex frg. 639:

μάτην γὰρ οἶκῳ σὸν τόδ' ἐκβαλεῖ τέλος,

ubi adnotat scholiasta (ad Hom. Il.) *τέλος* significare *δαπάνημα*, quod sic puto intellegendum esse, ut regem Polyido magnam pecuniae vim, si puerum vivum reddidisset, promisisse putemus. Itaque si *μῦθον* Euripides secutus est, in fine fabulae puer vivus in scaenam prodiit, sane ut parvulus ille cogitandus, quod supra (p. 259) demonstravi.

Restat *Auge*, in qua *Telephum* infantem in scaena fuisse imprimis sequitur ex Aeliani quodam loco (V. H. XII, 15), quem *Augae* Euripidis vindicavit Wilamowitzius (A. E. p. 189): *Herculem alicubi ab Euripide induci puerum ulnis tenentem*. Eam coniecturam Robertus in commentatione illa, quam de monumentis Pergamenis scripsit,¹⁾ confirmavit. Ceterum puer, ut lactens, in scaena simulacrum fuisse videtur.

Ceterae omnes ultimae aetatis tragoediae pueris carent, nisi forte *Phrixum* et *Chrysippum* pueros ab Euripide fictos esse suspicaris. At *Chrysippus* a *Pelope* adamatus, cuius personam certe unus ex tribus histrionibus suscepit, adulescens est cogitandus; idem de *Phrixo* valet; de quo genere personarum disputavimus p. 256. *Phrixum* autem Robertum secutus propterea ultimae aetati adscribo, quia longam per multas aetates maiorum in prologo enumerationem, qualis est in frg. 819, ea demum aetate Euripides adhibere coepit.²⁾

Aristophanis deperditas fabulas ad hanc quaestionem non adhibui, quippe ex quarum perscrutatione non magnum huic commentationi fructum oriturum esse putarem.

¹⁾ *Jahrb. des Kaiserl. Deutsch. arch. Instit.*, vol. II (1887), p. 246 sqq.

²⁾ cf. De Arnim, de prologis Euripideis, dissert. inaug. Gryphiswald. 1882.

Iam materia collecta et examinata quaestiones nonnullae solvendae sunt, quas, si modo longius progredi volumus, praeterire non possumus.

Primum cuius aetatis fuerint ii pueri, qui revera in scaenam prodibant, deinde utrum ipsi in scaena verba fecerint, cecinerint, an adulti pro iis, decernendum est.

De aetate puerorum propterea fusius disputare necessarium mihi videtur, quia homines doctos in hac re nequaquam consentire video. Primum sunt, qui revera pueros, non adultos, prodiisse non credant, sed adolescentulos pro iis esse substitutos arbitrentur, ita ut vel a choreutis vel ab histrionibus eorum partes actas esse putent. Nam inhaesit in virorum doctorum mentibus quidam timor, ne nimis multum pueris imponent, ita ut eorum partes quam maxime circumcidere conarentur, scilicet veteres omnino parvis subsidiis in exstruendis spectaculis usos esse arbitrati. Itaque G. Hermannum pro Vesperum pueris vidimus choreutas substituere (p. 237). Similiter nonnulli Eumelum q. v. adolescentem putaverunt.¹⁾ Contra O. Muellerum²⁾ video pueros illum quidem admittere, tamen is quoque parsimoniam commendat, cum in Acharnensibus Dicaeopolidis filiolas simulacra fuisse censeat, Trygaei in Pace puellas omnino ex domo non prodiisse arbitretur, cui assentitur C. F. Hermannus.³⁾ Iam vero verba fecisse pueros ipsos in immensa theatri cavea credi non posse multi homines docti sibi persuaserunt. Iam G. Hermannus⁴⁾ Molossi qui vocatur in Eur. Androm. cantum ei

¹⁾ J. Richter, die Verteilung der Rollen etc., Berl. 1842, p. 75. Item C. F. Hermannus (de distributione personarum etc., Marp. 1840, p. 49), legitimo histrioni adscribit Eumeli partes. Richterus etiam pueri illius, quem unum in Suppl. cecinisse putat, partes a deuteragonista susceptas esse censet, l. c. p. 89.

²⁾ Hist. Litt. Graec. II⁴, p. 13, n. 2.

³⁾ De distributione etc., p. 39, et Berl. Jahrb. 1843, p. 408.

⁴⁾ Praef. ad Androm. p. XI.

histrioni, qui postea Peleum erat acturus, tribuit. Lachmannus¹⁾ et O. Muellerus,²⁾ Pollucis quodam loco nixi (IV, 109 sq.), quo ille quid *παρασκήνιον* sit exponit, putabant choreutas pro pueris post scaenam cecinisse, cum pueri ipsi gestum agerent. Sed ille locus est nimis obscurus, ita ut certa ex eo derivari nequeant. — Primus Beerius,³⁾ quantum video, acerrime statuit pueros veros et in tragoedia et in comoedia et agentes et loquentes et canentes prodiisse. Namque cum homines docti pro iis tantum pueris, quibus cantum poeta tribuit, adultos substituere conati sint, recte Beerius Vespas potissimum Aristophanis adhibuisse mihi videtur, ut veros pueros et prodiisse et cecinisse demonstraret. Ibi enim eosdem pueros satis breves et puerorum praelucentium et Carcinitarum personas gessisse ostendit. In comoedia pueros ipsos cecinisse atque recitasse potissimum ex Pace, in qua Lamachi et Cleonymi filii canunt puerorum modo, sequitur. Vesperum puerilis chorus autem imitatur chorum puerilem Euripideae Thesei; itaque, quoniam Aristophanes insulsum illud, quod revera inest in talibus puerorum Euripideorum lamentationibus, voluit iocosis suis imitationibus exagitare, certum videtur pari modo pueros in tragoedia atque in comoedia prodiisse, cecinisse, verba fecisse. Similiter saepius comicus instituta tragoediae in ridiculum vertit. Itaque, quod multi docti homines credere non ausi sunt, pueros ipsos in scaena cecinisse, pro certo accipiemus, quod mirum non videtur, siquidem, quod iam Beerius monuit, *παίδων χοροὶ* Athenis erant usitatissimi. Sed non choros puerorum solum, sed etiam singulos cecinisse puto, quoniam pueros etiam in conviviis cecinisse ex Pace Aristophanis discimus. Nam hic potissimum Graecorum singulares mores respiciendi sunt: dico primum formosorum puerorum amorem, qui vel tantum valebat, ut amantes amatique inter se de omnibus virtutibus certarent; deinde artium liberalium studium, quod in pueris educandis tanti momenti fuisse scimus, ut etiam in musicis certaminibus pueri in publicum prodirent. Quae si reputaverimus, sane credibile videbitur pueros in tragoediis

¹⁾ De mensura trag. p. 3.

²⁾ Hist. litt. Graec. I⁴, p. 593, n. 2.

³⁾ Ueber die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes, p. 46 sqq.

quoque et comoediis quasi certantes prodiisse, ut cum omnibus spectatoribus tum amatoribus suis non solum venuste agentes, sed etiam suaviter canentes placerent.¹⁾ Nam cantum solum tragici (ex quibus certum de uno Euripide scimus), non verba pronuntianda pueris imposuerunt, quod quidem Koobius²⁾ propterea factum esse censet, quia canentes pueri facilius voce immensam theatri magnitudinem expleverint; quae coniectura non ita inepta est. Sed observandum est tragicos omnino inde ab Aeschylo (praeter Pyladem Choephororum) parachoregemata canentia induxisse, tamen personas diverbiis utentes ultra legitimum numerum adhibere acerrime veritos esse. Adde quod ea quae habemus parachoregemata semper extraordinarium tragoediae ornamentum praebent. Ita puerorum quoque cantus (quos non proferunt nisi acerrimis periculis constricti aut summo in animorum motu), potius erant *ἀγωνίσματα εἰς τὸ παραχρῆμα* (nempe ut claris tenerisque puerorum vocibus spectatores delectarentur,³⁾ simul misericordia moveretur), quam integrae fabularum partes. — Aliter se gerunt pueri Aristophanei, qui ut vitam domesticam referunt, ita suo more loquuntur, sicut omnino Aristophanes personas ultra numerum sollemnem loquentes saepius induxit.

Sed his quae ad universam rem spectant argumentis nihil certi effici facile quispiam arbitretur: singulas fabulas ipsas esse adeundas. Itaque primum Eumeli q. d. partes, de cuius aetate potissimum possit dubitari, propius contemplemur. Si enim Alcestidem a tribus histrionibus actam esse putamus, quod neque refelli neque certo evinci posse videtur, Eumelum in illa morientis Alcestidis scaena ab uno ex tribus, qui supererat, histrionibus repraesentatum esse facile cogitari potest, quae fuit Lachmanni (de mens., p. 44), C. F. Hermannii (de distrib., p. 49), Richteri (Die Verteilung der Rollen, p. 75) sententia. Verum est verba, quae proferenda Euripides Eumelo tribuit, longe ab-

¹⁾ Pueros quidem amatores suos in scaena agentes incitavisse videmus in Plat. Epist. IV, p. 321 A: *ἐγὼ δὲ καὶ ἐν τοῖς θεάτροις ὄρω τοὺς ἀγωνιστὰς ὑπὸ τῶν παιδῶν παροξυνομένους.*

²⁾ De mutis quae vocantur personis, diss. philol. Hal. vol. V, p. 257.

³⁾ Quae res magis etiam illustratur loco quodam Ar. Vesp. (568 sqq.), de quo infra (p. 293) disputabo.

horrere a pueri natura, sed inde velle concludere Eumelum illum revera adolescentem a poeta fictum esse, perversissimum mihi videtur, siquidem constat summa arte opus esse ad sermones personarum ita instituendos, ut revera singularum condicionibus moribusque convenire videantur. Id ne Euripidi quidem semper contigisse iam Aristophanes comicus animadvertit, cum ei exprobraret vel aniculas apud eum philosophari (cf. ran. 948 sqq., Ach. 400). Itaque si puerorum in scaena sermones omnino novi aliquid praebere, in Alcestide vero Euripidem fere primo tale quid finxisse respexerimus (id quod demonstrare mihi in hac dissertatione propositum est), in depingendo Eumelo eum paullulum erravisse non mirum videbitur. Sed ne opus quidem est his argumentis: ipse Euripides claris verbis indicat se veros pueros habuisse in animo, cum haec scriberet de liberis ab Alcestide matre ultimo salutatis: 189 sqq.:

*παῖδες δὲ πέπλων μητρὸς ἐξηρητημένοι
ἔκλαιον· ἡ δὲ λαμβάνουσ' ἐς ἀγκάλας
ἠσπάζετ' ἄλλοτ' ἄλλον κτλ.*

Quid? nonne spectatores, si his modo auditis hominem adultum vidissent prodeuntem Eumeli persona indutum, risuros fuisse putas? Nonne res ipsa fert pueros quam minimos imbecillissimos ostendi, ut omnino Alcestidis preces, quibus eos Admeti tutelae commendat, intellegantur? — Aequae atque hac in fabula in unaquaque, quotquot praebent puerorum partes, haud ambigue puerilem naturam significatam esse inveniemus.

Nam vel obiter legenti tragoedias Graecas hoc se offert ultro, voluisse poetas pueros intellegi teneros, imbecillos, aliorum auxilio egentes; quin etiam quotquot pueri in tragoediis prodeunt, omnes aut summo periculo constricti aut angoribus vexati aut maerore afflicti sunt, ita ut consilio misericordiam movendi eos omnes inductos esse non inepte statuas. Eodem spectat quod pueri semper rerum coram se actarum nescii, neglegentes, pericula non opinantes depinguntur. Cum igitur poetae his duabus semper recurrentibus lineis pueros signare soliti sint, neque quicquam aliud iis personis repraesentavisse videantur nisi τὸ μαλθακὸν καὶ τὸ νῆπιον, inde quoque eorum qui in scaenam prodierunt puerorum aetatem

cognoscendam esse facile coniecero. Quod ut facilius intel-
legeretur, omnes eos locos, unde quod modo adumbravi efficitur,
in uno conspectu posui: Ajax 552/53:

καίτοι σε καὶ νῦν τοῦτό γε ζηλοῦν ἔχω
ὄθονεκ' οὐδὲν τῶνδ' ἐπαισθάνει κακῶν.

Oed. R. 1511:

σφῶν δ' ὦ τέκν', εἰ μὲν εἰχέτην ἤδη φρένας,
πόλλ' ἂν παρήνουν.

Alcest. 189/90 (de quo vide tamen, quae infra disputabo p. 280):

παῖδες δὲ πέπλων μητρὸς ἐξηρημένοι
ἔκλαιον· ἡ δὲ λαμβάνουσ' ἐς ἀγάλας κτλ.

ibid. 403:

ὁ σὸς ποτὶ σοῖσι πίτνων στόμασιν νεοσσός.

Medea 47 sqq.:

ἀλλ' οἶδε παῖδες ἐκ τρόχων πεπανμένοι
στείχουσι, μητρὸς οὐδὲν ἐννοούμενοι
κακῶν κτλ.

ibid. 1075:

ὦ μαλθακὸς χρῶς πνεῦμά θ' ἠδιστον τέκνων.

Androm. 441:

ἡ καὶ νεοσσὸν τόνδ' ὑπὸ πτεροῶν σπάσας;

ibid. 504:

μᾶτερ μᾶτερ, ἐγὼ δὲ σᾶ πτέρυγι συγκαταβαίνω.

ibid. 722:

ἔρπε δεῦρ' ὑπ' ἀγάλας, βρέφος.

ibid. 755:

καὶ παῖδα τόνδε νήπιον.

Heraclid. 91:

ἀλλὰ τοῦ ποτ' ἐν χειρὶ σᾶ κομίζεις
κόρους νεοτρεφείς;

ibid. 239:

θακείς νεοσσῶν τήνδ' ἔχων ὀμήγουρι.

Hecuba 1158:

τέκν' ἐν χειροῖν ἔπαλλον.

Hercul. 71:

οἱ θ' Ἡράκλειοι παῖδες, οὓς ὑπὸ πτεροῖς
σῶζω νεοσσούς ὄρνις ὡς ὑφειμένους.

Suppl. 1133:

*ἐγὼ δ' ἔρημος ἀθλοῦ πατρὸς τάλαι
ἔρημον οἶκον ὄρφανεύσομαι λαβὼν
οὐ πατρὸς ἐν χερσὶ τοῦ τεκόντος.*

Troad. 749 sqq.:

*ὦ παῖ δακρῦεις; ἀλοθάνει κακῶν σέθεν;
τί μου δέδραξαι χερσὶ κἀντέχει πέπλων,
νεοσσὸς ὡσεὶ πτέρυγας εἰσπίτνων ἐμάς;*

Quibus ex locis luculentissime apparere puto tragicos poetas in pueris praecipue imbecillam teneramque aetatem voluisse exprimere, quod quidem Euripides saepius comparatione cum avium pullis usus non illepide effecit. Quales si depictos pueros videmus, incredibile videtur pro talibus Athenienses adultos in scaena tolerasse agentes aut mera simulacra. Multa illi quidem a natura abhorrentia toleraverunt, sicut *ἐκκύκλημα*, similia. Sed etiam accuratius intuenti actiones puerorum naturis unice accommodatas poetas in ipsis versibus indicasse apparebit. Scimus enim, quaecumque nunc poetae de actionibus totoque scaenae apparatu separatis notis praescribunt, ea omnia veteres poetas in ipsis personarum sermonibus indicasse. Tales actiones sive condiciones unis pueris convenientes sunt e. g. hae:

Ai. 545: *αἶψ' αὐτὸν αἶρε δεῦρο.*

Heracl. 47/48: *λαμβάνεσθ' ἐμῶν πέπλων.*

Herc. 70: —, *οὐς ὑπὸ πτεροῖς
σῶζω νεοσσούς κτλ.*

Multa similia possum afferre. Cognoscimus inde poetas in his puerorum partibus, ut omnino in scaenis componendis, non magis verba spectasse quam imagines ante oculos habuisse: id enim nobis recentibus semper tenendum est, agere nos de spectaculis, quae quanti fuerint praeter verba prolata, ipsum indicat nomen *θεάτρον*. Itaque omnino non credemus Graecos, ut erant imaginibus bene compositis aspiciendis assueti, tanta tolerasse monstra: adultos pro pusionibus, etiam quibus canendum fuerit, agentes.

Sed quoniam, quanti momenti poetarum verba essent ad cognoscendas actiones totamque scaenarum imaginem animo redintegrandam, intelleximus, etiam intentius eos locos, qui sunt

de puerorum actionibus habituque externo, examinemus; nascitur enim suspicio non eodem modo poetas omnes pueros depinxisse, sed inter natu maiores et minores distinguendum esse (non loquor de infantibus, qui ut a pueris veris non repraesentati ab hac quaestione sevocandi sunt). Nam primum apparet eos pueros, qui in scaena cecinerunt, non pusiones circiter quinque annorum cogitandos esse, quoniam ars quaedam non exigua iis praestanda erat. Eos tales fere fuisse suspicor, quales discipulos Athenienses Duris in nobili suo opere pinxit,¹⁾ circa duodecim annos natos: tales non mirum videbitur fuisse Athenis pueros satis eruditos alacres sollertes, ut Eumeli, Molossi, aliorum partes susciperent, praesertim cum artem musicam summo studio a pueris tractatam esse constet. Cui coniecturae etiam ea, quae de puerorum actionibus in tragoediis legimus, conveniunt. Nam Eumelus q. v. non videtur ab aliquo servo duci, sed sua manu cum sorore procedit. Non vero in eo offendendum est, quod ex ancillae narratione (151 sqq.) pueros minimos fuisse sequi videtur. Eam enim libertatem facile poetae concedemus, ut in narrando paullo a scaenae imagine recedat, quippe qui omnino nuntiorum sermones quam maxime exornare studeat. — Ne Molossus q. v. quidem aliter describitur; nam arte quadam opus est ad matris vincula solvenda, neque, ut supra ostendimus (p. 226), a Peleo attollitur v. 722 sq.:

ἔρπε δεῦρ' ὑπ' ἀγκάλας, βρέφος,
ξύλλυε δέσμα μητρὸς κτλ.

Illo enim ὑπ' ἀγκάλας nihil dicit Peleus, nisi ut suae tutelae se committat, cum sibi se applicet, quod idem clarins postea sic dicitur: v. 747:

ἡγοῦ τέκνον μοι δεῦρ' ὑπ' ἀγκάλας σταθείς.

Etiam Supplicum pueri, qui quidem actionis haud exiguae sint participes, tales fere repraesentantur.

Iam ad mutos pueros transeamus. Quae Medae puerorum aetas cogitanda sit, non ita facile perspicitur. Itaque primum eum locum, quo pueri inducuntur, intentius examinemus, dico verba nutricis haec: (vv. 46 sqq.):

¹⁾ vid. Mon. dell' Inst. IX, tab. 54; Arch. Ztg. 1873, tab. 1 = Wien. Vorl.-Bl. Ser. VI, 6.

ἀλλ' οἶδε παῖδες ἐκ τρόχων πεπανμένοι
 στείχουσι, μητρὸς οὐδὲν ἐννοούμενοι
 κακῶν κτλ.

Dubitari autem potest, utrum τρόχων an τροχῶν legendum sit; illud significat cursum, hoc lusum quendam puerilem: rotam, quae bacillo agitur. Videtur autem hoc ἀπόρημα grammaticorum fuisse, nam Tryphonis ex libro, quem περὶ ἀττικῆς προσφθίας scripsit, notam habemus, qua ille, quid intersit inter τρόχος et τροχός, exponit. Utriusque significationis singula exempla affert ex Euripide, alterum (ad τρόχος) ex Alopa (frg. 105), alterum ex Medea, sc. hunc locum, ubi ille τροχῶν legisse videtur, quod ex apposito sequitur; ultima enim verba exciderunt.¹⁾ Scholiasta (qui illum locum affert) τρόχους intellegendos esse dicit. Mihi vero hic Tryphonis sententia probanda ideoque τροχῶν legendum esse videtur propterea, quia nutricem puto ex ipso aspectu atque habitu puerorum cognovisse, unde venirent. Praeterea, simodo Euripides ex certa artis ratione puerorum temerariam laetitiam opponere volebat furori aerumnisque Medae, probabile est eum hoc quoque finxisse: pueros cum ipsis trochis ex ludendo laetos in scaenam procurrentes. Quid? nonne consentaneum est artifices, qui saepissime Medae liberos securos ad matris sibi infestissimae pedes ludentes finxerunt, ipsam hanc Euripideam scaenam ante oculos habuisse? Inter quos nobilissimus fuit Timomachus, qui pueros astragalis ludentes pinxerat;²⁾ quod argumentum in parietibus Herculanensibus et Pompeianis recurrit.³⁾ In sarcophagis Romanis pueri pila lu-

¹⁾ Sic Elmsleius quoque locum intellexit (ad Eurip. Med. p. 72). Nauckius vero utrumque exemplum ad τρόχος referendum censet, ut mihi videtur, plane perverse (ad Alop. frg. 105). Qui cum locum Tryphonis ita decurtatum transcripserit, ut res ex eo non possit perspicui, totum appono locum (ex Ammon. de diff. voc. p. 137): — τοὺς μὲν γὰρ περιφερεῖς τροχὸς ὁμοίως ἑμῖν προφέρονται δῆυτονοῦντες· τρόχος δὲ βαρυντόνως λέγουσι τοὺς δρόμους· ἀναγιγνώσκωμεν γὰρ, ὡς φησιν, ἐν μὲν Ἀλόπη Εὐριπίδου· Ὄρω μὲν ἀνδρῶν τόνδε γυμνάδα στόλον | στείχοντα θεωρῶν ἐκ τρόχων πεπανμένον· ἐν δὲ Μηδείᾳ· Ἀλλὰ οἶδε παῖδες —.

²⁾ cf. Plin. n. h. 7, 126. 35, 128, 136, 145. Plut. quom. ad. poet. aud. deb. 3, p. 18 A. Anthol. Planud. IV, 135—143.

³⁾ cf. Helbig, Campan. Wandgem., p. 270, No. 1262—64.

dentes repraesentati sunt.¹⁾ — At si imagines, quibus pueri cum trochis picti sunt,²⁾ perlustramus, non solum pueros minores illo lusu uti videmus, sed etiam ephebos sive adolescentes, sicut Ganymedis est sollemnis appendix. Adde quod Pollux (X, 64) trochos enumerat inter τὰ προσήκοντα γυμνασίοις σκεύη. Itaque, si coniectura nostra constat, non pusiones, sed paullo maiores illos Medae pueros cogitabimus. Adde quod Euripides iis servum attribuit, qui eos semper comitari atque custodire videtur; nimirum παιδαγωγός est intellegendus, quod est genus servorum senum, quibus Graeci pueros cum omnino custodiendos tum in gymnasia et scholas ducendos committere solebant. Inde sequitur non intellegendos esse pusiones; minima enim aetas, qua pueri paedagogis tradebantur, annus septimus fuisse videtur.³⁾ Iam oritur quaestio, num ceteroquin Euripides pueros ei aetati convenienter se gerentes finxerit, quam ex his argumentis conclusimus. Itaque primum monendum est eos non ut fere infantes, omnino stultos, νήπια τέκνα, vocari atque repraesentari, sed hoc dicitur, eos non curare matris dolores (47/48):

— μητρὸς οὐδὲν ἐννοούμενοι κακῶν,
νέα γὰρ φροντὶς οὐκ ἀλγεῖν φιλεῖ.

Sed etiam scaena illa, qua ultimo Medea liberos salutatur amorem suum maternum opprimens, ita descripta est, ut non ita parvulos pusiones eos fuisse necessario putemus, cf. vv. 1070 sqq.:

δὴτ' ἀσπάσασθαι μητρὶ δεξιὰν χεῖρα.
ὦ φιλάτη χεῖρ, φίλτατον δέ μοι κἄρα κτλ.

In toto hoc loco nullum invenitur indicium, ex quo Medeam pueros sibi sustulisse appareat; quin inde, quod eos manus porrigere iubet, sequitur pueros maiores fuisse; parvulos enim statim sustulisset. Similiter ille locus accipiendus est, quo pueri a Medea e domo vocantur, ut patrem blandiendo commoveant (894 sqq.); dicit iis, patrem salutent, appellent, prehendant eius dextram, quo ipso iusso sapor quidam et intel-

¹⁾ v. Die antiken Sarkophagreliefs, ed. Carl Robert, vol. II, tab. LXII—LXV.

²⁾ cf. O. Jahn, Ber. der Sächs. Gesellsch. der Wissensch. 1854, p. 255 sq.

³⁾ cf. Plat. legg. VII, p. 794 A.

legentia propectae aetatis indicatur. Itaque Medea et v. 905 et v. 1075 pueros osculari quidem, sed non attollere cogitanda est. Sed num omnino mirum videtur, paullo maiores fuisse eos pueros, quibus talia imponantur, ut onus non exiguum manibus sustineant, auferant, omnino usque eant redeant in scaena? ¹⁾ — Clarissime autem poetam revera diversas puerorum aetates animo finxisse, itaque has quaestiones non inanes esse elucebit, si has Medeae liberorum partes cum Astyanactis in Troadibus comparaveris. Ibi quoque mater puerum valere iubet; sed ille describitur paene ut infans, cum, quae coram se fiant, intellegere non videatur. ²⁾ Postea matrem eum ad se attollere patet cum haec dicat: (757 sqq.):

*ὦ νέον ὑπαγκάλισμα μητρὶ φίλτατον,
ὦ χρωτὸς ἠδὲ πνεῦμα· διὰ κενῆς ἄρα
ἐν σαργάνοις σε μαστὸς ἐξέθρεψ' ὅδε κτλ.
πρόσπιτνε τὴν τεκοῦσαν, ἀμφὶ δ' ὀλένας
ἔλισσ' ἔμοις νότοισι καὶ στόμ' ἄρμωσον.*

Ex ceteris pueris Heraclidae maiores videntur; nam ut supra (p. 227) demonstravi, et prudentiam quandam et vim praestant. Similia iis imperantur, quae Medeae pueris, ac. ut per se ipsos reges adeant, salutent, quibus rebus libertatem quandam agendi sive audaciam, qualis pusionibus non convenit, exprimi supra statuimus. De Polymestoris in Hecuba filii certum dicere non licet, quia breviter tantum a poeta memorantur. Quod vero Polymestor ipse narrat mulieres in tentorio pueros manibus vibrasse (1157/58), inde in scaena pusiones fuisse concludi posse nego ex eadem causa, quam de Alcestidis pueris servaeque narratione attuli (p. 280). Contra Herculis pueri sane fere a trimulis vel quadrimulis in scaena acti esse videntur, qualis est illa scaena, qua patris vestibibus implicantur etc., de qua supra dixi (p. 234). Talia fieri a pueris circiter duodecim annorum ineptum esset, sicut Molossus q. v., qui pari

¹⁾ Quales posteriore quidem aetate Medeae liberi in scaenam prodierint, ex Pompeiana pictura cognosci potest, quae expressa est in Mon. dell' Inst. ined. vol. XI, tab. 31.

²⁾ Euripidem hac in re antiquam epicam memoriam secutum esse supra p. 256, n. 2 exposui.

periculo constrictus inducitur, non ita se gerit.¹⁾ Etiam Eurysacem Sophocleum maiorum illi puerorum generi ascribendum duco, quippe cui haud levia ad agendum poeta imposuerit (1171 sqq. et 1409 sqq.), neque in patris genua eum tolli, quod esset infantis vel pusionis parvuli, supra demonstravi. At haud scio an illae Eurysacis partes ita nihilo secius cuipiam descriptae videantur, ut sane parvuli species eius animo obversetur. Sed quoniam omnino Sophocles non adeo atque Euripides pueris usus esse videtur, cum vix ausus sit eos ipsorum cogitationes verbis vel gestu exprimere iubere²⁾, ex ea Eurysacis ceterorumque tranquillitate vel timiditate concludi non potest Sophoclem minores voluisse in scaenam inducere. Immo Sophoclis toti naturae atque indoli pueros ita moratos magis convenisse reor, ut modeste quasi et verecunde se gererent. Itaque omnes quos novimus Sophoclei pueri, qui quidem haud seguitur in scaena agant, maiores cogitandi sunt. Aristophaneos eiusdem aetatis fuisse suspicor, qualis est eorum actio.

Iam vero his quaestionibus relictis omnes quantum poterimus fabulas amplexi id spectemus, ut, quibus temporibus ille mos maxime vigerit, quibus minus, constituamus. Quem ad finem primum fabulas Euripideas superstites omnes et nonnullas deperditas in unam tabulam secundum temporum rationes³⁾ conscripsi; adieci Sophocleas et Aristophaneas eas tantum, quae puerorum partes praebent. Cyclopem ut omnino satyricas Euripidis fabulas ut nimis obscuras omisi.

¹⁾ Talem Assteas quoque Herculis filiolum pinxit in ea imagine, qua certe scaenam fabulae poetae alicuius Euripidem imitantis expressit. vid. Mon. dell'Inst. VIII, 10 = Wien. Vorl.-Bl. Ser. B, I.

²⁾ Praeter cetera respicias quaeso, quod Sophocles Eurysacem de patris morte maerorem nullo modo patefacientem finxit, contra Euripides Astyanactem satis parvulum, quamvis esset mutus, quamvis parvuli nescius, haud dubio gestu ultro angorem suum exprimentem fecit.

³⁾ In Herculis tempore constituendo sequor Wilamow. Herc. I^s p. 137 sqq; tamen noluerim ante annum 420 eam ponere, quia tum nondum adeo aetate provectum Euripidem fuisse patet, ut senectutem queri posset (vid. v. 678).

Sophocleae et Aristophanese fabulae

Euripideae fabulae.

fabulae	numerus puerorum	actio	anni, quibus fabulae doctae sunt.	fabulae	numerus puerorum	actio
Ajax	1	mutus	438 435 ? 434 ? 434 ? 431 430 ?	Aleceus Theseus Hippolytus a Medea Andromacha	2 14 ? 2 ? 2 1	alter canit chorus canit ? muti canit amoebaeum
Oedipus a	multi	muti	ca 429 428 427 ? 425 ? 422 ca 421	Hippolytus b Heraclidae Hecuba Supplices	— multi 2 5	— — muti muti chorus canit amoebaeum
Acharnenses Vespae Pax	1 et 2 puellae 3 2	puer loquitur loquuntur et canunt loquuntur et canunt	420—415 420—415 415	Ion Hercules Troades	— 3 1	— — muti mutus
Lysistrata	1	infantis simulacrum	414 ? 413 412 411 ca 410 409 ? 408 405 ? 405 ?	Iphigenia a Electra Helena Phoenissae Hypsipyra Orestes Bacchae Iphigenia b	— — — — infantis simul. — — infantis simul.	— — — — — — — —

In hac tabula hoc primum ferit oculos, quod usque ad annum 421 omnes fabulae Euripideae praeter unam Hippolytum b, puerorum partes praebent; postea usque ad annum 415 bis praeterea pueri inveniuntur, sed ii minoris aetatis et muti, post eum annum tantummodo simulacra. Sed ne in Sophocleis et Aristophaneis quidem fabulis post annum 421 veri pueri prodiisse videntur, nam apud Aristophanem unum offendimus Lysistratae simulacrum et eae Sophoclis fabulae, quae certis ex argumentis illi aetati adscribuntur, Philoctetes, Trachiniae, Electra, Oedipus Coloneus, pueris carent. Itaque si ex parcis his argumentis aliquid concludere licet, in toto illius moris scaenici progressu anni 421 et 415 quasi pro terminis habendi sunt, quos in tabula lineis subscriptis signavi. Primum denique terminum annum 430 statuendum duxi, quoniam prima ea aetate pueri Euripidei quidem fere omnes canunt, cum posteriores praeter Supplicum pueros sint muti; tamen Aristophanis pueri ea ipsa aetate, qua Euripidei tacent, verba faciunt.

Probavimus igitur morem illum, de quo disputamus, certa quadam ratione progressum esse, ita quidem, ut non eodem semper in honore ac gratia illud artificium fuisse, sed certis temporibus mutatum atque remotum esse videatur. Cum vero fundamentum, quo nitimur, non satis firmum sit ob exiguum superstitem fabularum numerum, circumspicendum est, ecquibus aliis argumentis ea coniectura fulciri possit. Quem ad finem omnes fabulas Euripideas per tres illas aetates dispertitas in uno conspectu posui, ita quidem, ut in dextera parte eas fabulas, quae praebent pueros, in laeva, quae non praebent, collocarem. Quae tabula etiamsi coniecturis nititur non utique certis, tamen aliquam speciem veritatis inde colligi posse concedetur.

I. aetas.

fabb. sine puer. part.	fabb. cum puer. part.
1. Peliades	1. Alcestis
2. Telephus *	2. Medea
3. Cressae	3. Thyestes
4. Alcmeon a	4. Hippolytus a
5. Philoctetes	5. Theseus
6. Dictys	6. Ino
7. Bellerophon	
8. Phoenix	
9. Oeneus	
10. Protesilaus	
11. Aegeus	
12. Epeus?	
13. Rhesus	
14. Aeolus *	
15. Melanippa a *	
16. Cretes *	
17. Danae *	
18. Scyrii *	

II. aetas.

fabb. sine puer. part.	fabb. cum puer. part.
1. Hippolytus b	1. Andromacha
2. Cresphontes	2. Heraclidae
3. Temenidae	3. Hecuba
4. Licymnius	4. Supplices
5. Alcmena	5. Hercules
6. Antigona †	6. Oedipus
7. Erechtheus †	
8. Peleus	
9. Stheneboea	
10. Meleager	
11. Phaethon	
12. Ion	
13. Temenus	
14. Alope *	
15. Plisthenes?	

III. aetas.

fabb. sine puer. part.	fabb. cum puer. part.
1. Alexander	1. Troades
2. Palamedes	2. Polyidus
3. Iphigenia a	
4. Electra	
5. Andromeda	
6. Helena	
7. Oenomaus	
8. Chrysippus †	
9. Phoenissae †	
10. Antiopa	
11. Hypsipyla *	
12. Orestes	
13. Iphigenia b *	
14. Alcmeon b	
15. Bacchae	
16. Archelaus	
17. Melanippa b	
18. Phrixus †	
19. Ixion	
20. Auge *	

Iam videmus prima aetate totidem quot secunda pueros in scaenam prodisse, ultima vero paucissimos. Quin etiam Astyanax Troadum vix ei aetati ascribendus, cum in ipso ultimae aetatis limine occurrat, ita ut post annum 415 unum habeamus Polyidum, cuius quidem partes sane obscurae. Quid? nonne solis luce clarius apparet artificium pueros inducendi, quamvis olim viguerit, post illud tempus plane spreum atque neglectum fuisse? Nimirum eae fabulae, in quibus pueros simulacris repraesentatos esse demonstravi, ad hanc quaestionem non pertinent, quoniam de veris tantum pueris inductis agitur. Tamen eas fabulas (in quibus infantes apparuerunt) asteriscis signavi, contra eas, in quibus pueri maiores sive ephēbi prodierunt, qui ab histrionibus agebantur, crucibus appictis: iam patet illum morem infantes inducendi maxime prima aetate, hunc ephēbos in scaenam provocandi media et ultima aetate viguisse.

Iam ut accuratius de illius moris origine ac progressu quaeramus, haec, quae ex tabula non cognoscuntur, addenda sunt: Si coniecturae eae, quas de Thyestae, Inonis, Thesei, Hippolyti a temporibus statueramus, sibi constant, satis angustis temporis finibus illae primae aetatis fabulae, quae praebent puerorum partes, includuntur, ita ut illo tempore (ca 438—430) plurimos pueros (apud Euripidem quidem) in scaenam prodisse concedendum sit. Sed non solum plurimi, verum etiam plurimum agentes pueri tum occurrunt. Habemus enim a. 438 (in Alceste) puerum canentem, brevi post in Theseo puerorum chorum canentem, praeterea in Thyesta pueros a patre ad dolum perficiendum adhibitos esse probavimus; iam anno 431 poetam in Medea pueris sane multa ac difficilia agenda imposuisse vidimus, denique eodem fere tempore graves sane difficilesque Molossi q. v. partes occurrunt. Sed Sophocles quoque eodem temporis spatio simili studio pueros adhibuisse videtur: conferantur Eurysacis in Aiace et puerorum in Oedipo partes. Postea (secunda Euripidis aetate) puerorum partes ita coercentur, ut adsint quidem in scaena, sed non multum agant, exceptis Supplicibus, in qua pueri non solum strenue agunt, sed etiam canunt. Quod non miraberis, simodo Euripidem ea fabula, qua recentem pacem celebraret, quam splendidissimum spectaculum praebere voluisse reputaveris. Extrema denique aetate pueri vel

propterea minus agunt, quia minores natu sunt. — Iam ut haec omnia comprehendamus, morem illum, in tragoedia certe, viam quandam secutum esse constat, in qua via hi anni quasi termini statuendi sunt: 438, 430, 421, 415. Scilicet prima aetate, simulatque mos est inductus, in summa fuit gratia et honore, deinde paullo est repressus, donec plane est abiectus. — Quae lex cum ex Euripidis maxime fabulis sit repetita, tamen ne Sophocleae quidem, de quarum quidem temporibus satis constat, ei obstrepunt. Adde quod tales mores scaenici non ab altero tantum, sed ab utroque poeta simul solebant observari, cum alter tantum eorum auctor esset. Comicos quoque pueros, quot quidem noti sunt, convenire cum hac quam invenimus lege supra demonstratum est. —

Sed iam paullo altius in poetarum ingenia atque cogitationes penetrare conemur, ut, simodo continget, quem in modum eas partes fabularum propriae actioni inseruerint, quem locum iis caementis in totis tragoediarum aedificiis tribuerint, perspiciamus. Non sine ratione quidam mihi coniecisse videntur, poetas eo potius consilio artificio illo usos esse, ut spectantium voluptati inservirent, quam unas in componendis fabulis artis leges secutos; velut hoc negari nequit, ad misericordiam movendam omnes fere tragicos pueros, eos maxime, qui canant, esse aptos. Talia vero spectacula plebeculae maxime semper plauerunt. Accedit quod pueris potissimum adhibitis poetae sane artificiosas splendidasque scaenae imagines componere sciebant, ita ut pueros sane meri ornamenti causa inductos esse facile tibi persuadeas. Tales quas dico imagines non opus est singulas afferre: Moneo de illa scaena, qua Alcestidem aspiciamus moribundam, in cubiculo iacentem, adstantes Admetum cum liberis, qui desperantes ad lectum procumbentes matri manus porrigunt. Quae scaena quam scite sit spectantium oculis accommodata, vel inde apparet, quod eam saepissime in artis monumentis expressam videmus. Idem valet de certo quodam scaenarum genere, quod Euripides potissimum in deliciis habuisse videtur, scilicet quod supplices pueros cum matribus aut aliis maioribus natu ad aram considerare saepe iussit. Quod artificium

ab Euripide quidem inde ab anno circiter 430 adhiberi coeptum esse videtur. Occurrit, ut opinor, in Thyesta, fortasse in Theseo, in Heraclidis, Hercule, Supplicibus. Simile quiddam Sophocles in Oedipo rege finxit. Qua cum arte aliud artificium proxime cohaeret: hoc dico, Euripidem minimos natu cum maximis, i. e. senibus aetate iam decrepita, saepe coniunxisse eaque imagine, qua vitae humanae fines artificiose consociatos ostenderet, callide studuisse spectantium sensus movere atque sibi conciliare. — Sed, utut hoc est, vix opus est demonstrare poetas etiam in iis fabulis, in quibus pueri minus firmo et arto cum propria actione vinculo coniuncti esse videntur, tanta arte eorum partes composuisse, ut vix nos iis nunc carere velimus. Eiusmodi fabulas has tibi propono.

Primum in Alcestide sane laudandus est poeta, quod coram liberis Admetum Alcestidi promittentem fecit se eorum tutelam suscepturum; ita enim sane magnum ei actioni vigorem tribuit: quanquam ita quoque ea scaena cogitari possit, ut liberi in domo remanentes commemorentur modo, qualem fortasse scaenam Phrynichus in sua Alcestide finxit, siquidem tum pueri in scaena nondum erat locus. Contraria fortasse fuit puerorum in Hippolyto a vis: nam ut illi ad fidem, ita hi ad perfidiam matris repraesentandam adhibiti sunt. Qui cum ad fabulae progressum novi vix quicquam afferrent, tamen eorum auxilio poeta sane vividis coloribus potuit imaginem suam depingere. Denique cur Supplicum pueros, qui nisi lamentarentur, in fabulae conexu fere supervacanei viderentur, poeta induxerit, tum plane intellegemus, cum fabulae veram rationem atque indolem perspexerimus; scilicet Euripides, ut omnino eam fabulam ad commendandum foedus Argivorum atque hostes Atheniensium, sc. Thebanos, castigandos composuit, ita pueris quoque callidissime usus est ad Thebarum exitium designandum. — Iam si Sophocleas fabulas contemplamus, Eurysacem videmus sane fere nihil afferre ad fabulae progressum; tamen egregia poetae ars in eo cernitur, quod hac una pueri praesentia effecit, ut Aiace non solum ut virum fortem durum trucem, sed etiam humane sentientem depingeret, itaque id assequeretur, ut ille acerbe patiens heros nostros quoque animos moveret. Scite enim coram puero tantum eum intimas animi cogitationes effundere iussit,

ne heroem suum mulieris eiusque servae blandimentis concedentem ostenderet. Maxime vero Sophocles in superstitibus quidem fabulis vulgi voluntati indulgit in Oedipo rege, cum non solum initio magnam puerorum turbam, sed etiam in ipso fine fabula iam peracta Oedipi filiolas induceret, nempe ut flebilem illam imaginem proponeret spectantibus, qua Oedipus caecus, fati fractus, parvulas suas innocentes manibus quaerens, permulcens, ipsae flentes repraesentantur. Sed quamvis non alio consilio, nisi ut lacrimae spectantium excitarentur, ea scaena ficta videatur, tamen in eo ipso poetae ars cernitur, quod illa puellarum cura ante oculos posita Oedipi humanitatem nobis ostendit itaque eius sortis acerbitate etiam vehementius nos percussit atque commovit.

Iam praeter has fabulas, in quibus puerorum partes paullo laxius cum tota actione cohaerere cognovimus, magnam earum invenimus multitudinem, in quibus pueri vel sua actione vel certe sua sorte in summum discrimen vocantur itaque medium quendam fabulae locum obtinent. Iam prima aetate eiusmodi fabulae Euripidis occurrunt hae: Thyestes, Ino, Theseus, in quibus pueros praecipuum locum tenere patet. Quid dicam de Heraclidis, cuius fabulae summa in una multorum puerorum salute posita est, sicut etiam per totam fere fabulam scaenam obtinent? Quin etiam tanta fuit puerorum partium vis, ut Euripidem earum auxilio summum artis suae fastigium assecutum esse iure statuas; nam et in Medae moribus cupiditatibusque describendis et in Andromachae actionis nodo conectendo et in Herculis tragica sorte luculenter exprimenda multum eum puerorum praesentiae debuisse apparet. Sed ne in Sophoclis quidem fabulis quicquam magis admiratione dignum mihi videtur quam ea vis, qua Aiacis mores fortunamque puero adhibito animis nostris commendavit. —

Nec miranda est ea puerorum partium vis, siquidem iis ipsis novos nec minimos animi humani motus in ipsa scaena repraesentandi copia fiebat poetis¹⁾, id quod artis scaenicae

¹⁾ Quantum omnino puerorum in arte poetica personis tribuendum atque a poetis tributum esset, nescio quis grammaticus Alexandrinus sensisse videtur, cum moneret (schol. II. Z 468) Homerum primum pueros in tragoedia, i. e. gravioris argumenti carmine, induxisse. At quod

natura requirit. Sed has res contemplantes iam in eam delabimur quaestionem, quae totius commentationis summa est, eam dico, ut auctorem huius moris scaenici investigemus. Quod ut revera perficiamus, singulorum maxime poetarum indoles mihi respiciendae videntur, ut cuius ingenio mutatus ille tragoediarum color, qualem modo adumbravi, maxime conveniat, constituamus. Atque haud scio an meliorem in hac via ducem sequi non possimus quam Aristophanem comicum, quippe qui certo acumine ea artis Euripideae propria designaverit, quae a pristina tragoediae gravitate abhorrere arbitrabatur. Exstant autem eius iudicia cum passim in omnibus comoediis tum in Ranis, ubi lite illa inter Aeschylum et Euripidem ficta haud ambigue suum pristinae poeseos amorem, recentis odium patefecit. Itaque primum τὸ δημοκρατικόν, ut ipsius Euripidis Aristophanei verbis utar (ran. 952), ut recentis poeseos peculiare acite affert: quo opprobrio vera Euripidis natura pestringitur. Nempe comicus suo more per iocum Euripidem adeo *παρρησίας* q. v., quae est absoluti imperii popularis insigne, amantem fingit, ut servos reges, virgines anus aequae diserte loqui iubeat.¹⁾ Sed his iocis omissis nihil aliud in illo crimine latere puto nisi hoc: Euripidem nimium suae aetatis indoli tribuisse. Neque enim opus est exponere, quam arcto vinculo ea reipublicae forma, quam *δημοκρατίαν* vocabant, cum tota illius sophisticae aetatis indole coniuncta fuerit. Ac nonne revera illa Euripidis consuetudo, personas tragoediae quam maxime humi, ut ita dicam, detrahendi atque cotidianae vitae accommodandi, maxime ex eorum sententia esse videtur, qui populi in administranda reipublica absolutam potestatem comprobant? Illos enim quoque aequo omnibus iure concesso principum nobilium inter ceteros eminentium honores aspernari par est. Itaque Euripides, ut aequo iure omnes complecteretur, pueris quoque proprium in scaena

nos nihilo secius Aeschyleam tragoediam pueris caruisse statuimus, id ad apparatus scaenicum, non ad poesis naturam spectat. Aliud enim est de pueris narrare, aliud pueros agentes facere. — Scholium Roberto debeo.

¹⁾ vid. Ar. ran. 948 sqq.: *ἔπειτ' ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν οὐδὲν παρῆκ' ἂν ἀργόν, ἀλλ' ἔλεγεν ἡ γυνή τέ μοι χῶ δούλος οὐδὲν ἦττον, χῶ δεσπότης χῆ παρθένος χῆ γράῦς ἄν.*

locum tribuit. Nimirum cum vere sophistico meditandi ac disputandi amore ductus eas quaestiones in ipsa scaena tractaret, quae homines tunc maxime vexabant¹⁾, ad eam communis vitae imaginem depingendam pueris carere non potuit. Denique nota illa liberalitate, qua vel servos amplectitur, pueris quoque verba tribuit. Eodem spectat, quod infantes, sc. simulacra, saepissime adhibuit, nempe in iis fabulis, in quibus feminarum scelestas cupiditates expressit, quales materias ab omnibus veteris artis patronis maxime repudiatas idem Euripides in scaenam induxit.²⁾ — Sed addendum est alterum artis Euripideae proprium atque ipsum quoque ab Aristophane saepissime castigatum³⁾, illud dico, quod in excitanda spectantium misericordia summum posuit studium; inde pannosae illae, mendicae, claudae personae, quas acerbissimo risu comicus exagitat: ad idem consilium (praeter id quod supra attigi) puerorum quoque partes, quos quidem saepissime ille anxios trepidantes flentes induxit, referendas esse arbitror. Nam quantopere tali artificio Athenienses delectarentur, clare ex moribus in iudiciis obviis potuit cognoscere. Scimus enim nsitatissimum gratissimumque reorum refugium fuisse, uxores liberosque flentes, quorum aspectu lamentisque iudicum misericordiam moverent, in iudicium producere. Quibus spectaculis quantopere gavisii sint iudices, clarissime ex Aristophanis Vespis apparet.⁴⁾ Simillima fuisse illa spectacula scaenarum actionibus vel Socrates indicat apud Platonem, cum eam quam detestatur reorum rationem iisdem verbis describat, quibus fabulae significantur.⁵⁾ Quae cum ita sint, non ineptum est conicere Euripidem ex hac consuetudine artificium suum

¹⁾ cf. Ar. ran. 959: *οικεία πράγματ' εἰσάγων, οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν.*

²⁾ cf. Ar. ran. 1043 sq.: *ΑΙΣΧ: ἀλλ' οὐ μὰ Δῖ' οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας, οὐδ' οἷδ' οὐδεὶς ἦντιν' ἐρῶσαν πάποτ' ἐποίησα γυναικα.*

³⁾ cf. Ar. Ach. 413; pac. 146 sqq.; ran. 1063 sq.: *πρῶτον μὲν τοὺς βασιλεύοντας ῥάκι' ἀμπισχών, ἴν' ἔλεινοὶ τοῖς ἀνθρώποις φαίνοιντ' εἶναι.*

⁴⁾ vid. vv. 568 sqq. Quo ex loco etiam hoc perspici potest, quanti Athenienses fecerint vocis puerilis suavitatem, ita ut hoc quoque ex iudicio Euripidem deprompsisse facile suspiceris: *εἰ μὲν χαίρεις ἄργος φωνῆ, παιδὸς φωνὴν ἐλέησεις.*

⁵⁾ Plat. Apol. Socr. p. 35, B.

mutuatum esse, quippe qui omnino sane sollertem causarum forensium imitatore[m] se praestaret.¹⁾ — Iam his rebus perspectis satis probatum mihi videtur, puerorum in scaena partes, quarum vim et naturam novae illius Euripideae artis indoli apprime convenire ostenderit, revera Euripidi ipsi deberi. Accedit quod ille largissime pueris usus est, et aetates poesis Euripideae congruunt cum iis aetatibus, quas in usu puerorum omnino distinguendas statuimus. — Vel inde re non explorata colligi potest Aeschylum, ut qui fere contrarias sequeretur rationes, non admisisse pueros scaenis. Hac ipsa de causa, ut Robertus me docuit, contra fabulae memoriam in Agamemnone (vv. 877 sqq.) Orestem parvulum a Clytaemestra in Phocida missum esse finxit, quamvis, si eum induxisset, egregia ad futurum eius ulciscendi officium respiciendi occasio se obtulisset. Sophoclem autem, quem securo magis et hilari animo fuisse putamus, non adeo novis illius aetatis turbinibus correptum commotumque esse consentaneum est, ut artem suam plane ad eius iudicium accommodatam transformaret. Itaque, ut in aliis quoque rebus Euripidem imitatus est, hoc artificium non plane contempsit, sed modice tamen suis fabulis adhibuit. Iam si hoc demonstratum est, eas fabulas Sophocleas, quae puerorum partes praebent, post annum 438 doctas esse apparet, quo fere anno Euripidem primos pueros induxisse vidimus.

Unde puerorum in comoedia partes profectae sint, non tam facile perspici potest, quoniam ante annum 425 testimonia non habemus. Tamen hoc velim respicias, iisdem temporibus, quibus apud Euripidem, in comoedia quoque pueros in gratia et honore esse, iisdem scaena arceri; praeterea eandem pueros inducendi rationem quam in tragoedia cognoveramus, sc. misericordiae movendae, etiam Aristophanem suo more sequi, nempe ut pueros tragicos rideat; denique Aristophanem anno demum 427, quo tempore in tragica scaena iam diu puerorum partes vigeabant, coepisse comoedias scribere. Quae cum ita sint, non inepte suspicabimur illos comicos pueros ex mera tragiccae scaenae imitatione profectos esse.

¹⁾ Similiter rem exposuit O. Mueller, *Hist. Litt.* I⁴, p. 593.

Materiae dispositio.

	pag.
I. Quaestio proponitur	219—220
II. Puerorum partium exempla colliguntur	
A. ex superstitibus fabulis	
Sophoclis	220—222
Euripidis	222—236
Aristophanis	236—240
B. ex deperditis fabulis	
Aeschyli	240—241
Sophoclis	242—259
Euripidis	259—273
III. De scaenicorum puerorum aetate et in scaena actione .	274—284
IV. Quando artificium pueros inducendi ortum sit et quatenus quamque diu vigerit exponitur	284—289
V. De vero pueros inducendi consilio ac ratione	289—291
VI. Quis primus pueros in scaenam induxerit quaeritur . .	291—294

Halis Saxonum, formis descripsit E. Karras.

Photomount
Pamphlet
Binder
Gaylord Bros., Inc.
Makers
Stockton, Calif.
PAT. JAN. 21, 1908

PA 3136 .H39 1897 C.1
De puerorum in re scaenica Gra
Stanford University Libraries



3 6105 041 059 481

DATE DUE			

STANFORD UNIVERSITY LIBR
STANFORD, CALIFORNIA 9430



